
ERYCI PVTEANI
EPISTOLARVM
APPARATVS
NOVVS,
IN CENTVRIAS
DISTRIBVTVS.
ANTVERPIÆ.
Typis IOAN. CNOBBARI.
1637

ERYCI PUTEANI

EPISTOLARUM SELECTARUM APPARATUS

MISCELLANEUS, ET NOVUS,

Officia familiaria, negotia, studia continens.

CENTURIA PRIMA.



ANTVERPIÆ,
Typis IOANNIS CNOBBARI,
∞. IↃC. XXXVII.

Cum privilegio Regis Catholici.

ILLVSTRISSIMO VIRO

PETRO ROSÆ, EQ.

SENATVS BELGICI PRINCIPI.
DVBIVM, DIGNITATE MAIORI,
AN VIRTVTE MELIORI,
INGENIO SVMMA, HVMANITATE INFIMA
COMPLEXO,
PER OMNIA LAVDABILI,
AD VTILITATEM PVBL. ET GLORIAM REG.
REFERENTI OMNIA,
OLIM DISCIPVLO, NVNC PATRONO,
ET, NE A FAMILIARITATE ABIRET,
AMICO,
FAMILIARISSIMÆ ERVDITIONIS
MONVMENTVM
E. PVTEANVS SERIO AFFECTV CVLTVQ.
D. C. Q.

BONE ET LATINE
LECTOR,

NOvas hoc tempore, ac nescio an veteres, lubuit Epistolas dare. Novæ sunt, quia nunc demum in lucem veniunt; veteres, quia pridem natæ. Natæ annis decimoquincto, sexto, septimo, octavo hujus sæculi; sed è plurimis selectæ: non quia meliores erant, sed quia ad manum. Si hoc igitur placet specimen, liberalis ero, & plenum è reliquis reliquorum annorum Apparatum instruam. Quidni verò placeat? Officia mea familiaria, negotia, imò studia sunt, stilo quoque familiari expressa. Me videre vis? sic sum: audire vis? sic loquor: sed quemadmodum ipse placere tibi cupio; ita, quæ loquor. Vale.

INDEX

INDEX EPISTOLARUM.

A.

B.

A Bal-

C.

D.

Engel-

I.

L.

Mat-

EPI-

EPISTOLA I.

Coloniam Vbiorum.

ERYCIUS PUTEANUS
BAMELRODIUS
STEPHANO BROELMANO, V.C.
S. D.

ETiam Honestus Amor, Vir Clarissime, face, ut sic dicam, armatus est, & urit. Sentio derivatum cælo ignem; sentio novum, & quasi adultum. Sed an tempore opus, ubi principia incrementa sunt, & citra fumum flamma exardescit? Laudes interim, veluti stricturæ emicant, quibus ne modestiam meam aduras, cave. At ego in virtute tuâ ac doctrinâ colendâ publicam & veram famam sequor, amore simul & admiratione stimulatus. Nihil hîc oculis, omnia animo tribuo, & tanquàm adsim, loquor.

loquor. Faciem æſtiment, qui ſenſu cuncta metiuntur, qui ab homine virum, à dubio verum non diſtinguunt. Amplius eſt, noſſe, quem non vides; quàm videre, quem non noveris. Amare poterit, qui videt; admirari cogetur, qui novit. Hâc etiam notâ deſiderium diſtinguitur. Nam ut honeſtiſſimum eſt, videre velle, quem ames: ita temerarium, à primo ſtatim conſpectu amare hominem, tanquàm vidiſſe ſatis ſit. Melior cauſſa conſtantem affectum facit, cùm non è vultu, ſed è pectore fomitem trahit. Te igitur amare cœpi, quem non vidi, quia nôſſe datum: & amari à te cœpi, quaſi mutuum impetrarem. In hoc certamine, quod totum benevolentiæ eſt, ſuum uterque officium implebit: ego admirando, ut amare videar; tu amando, ut admirationem admittas. Nihil porrò ſuavius erit,
quàm,

quàm, quod ſuades, per Litterarum amœnitates mutuâ interdum ſcriptione calamum ducere, atque διαλέγεσθαι. Ita ſanè, quia in me potiſſimum eruditi fructus commercii redundabit, majores amandi cauſſas inveniam; ampliùs verò & virtutem tuam & doctrinam admirabor. Vale. Lovanii, in Arce, Proprid. Kal. Quinctil. ∞. IↃC. XV.

EPISTOLA II.

Antuerpiam.

PETRO ANDREÆ CANONHERIO

Suo.

PRæſtanti ingenio tuo nihil arduum eſſe aut difficile, Politica illa Iſagoge oſtendit. Ita me Deus! complecteris omnia, & facis unus quod omnes: ut mihi quidem videaris, poſt tot flores, ſæculi totius fructus collegiſſe. Regere debes, qui ſic ſcribis, dignus non famâ tantùm,

tantùm, quæ generosos labores tuos manet; sed & dignitate, quâ excellere præstantissimi solent cives, & Rempublicam illustrare. Tu tamen non loco & munere, sed mente eximius es; & cùm omne vincas ingenio imperium, nihil civium suffragiis debes; cùm doctrinæ malis, quàm fortunæ fascibus insigniri, pulcherrimo vitæ exemplo doces, pùlchrius esse, mereri Magistratum, quàm administrare. Hæc igitur Doctorum Bonorumque virorum felicitas est, infelicitate quâdam censeri. Hi quando latent, clari sunt; quando jacent, Magni. Nemini jus dicunt, & Iustitiam præscribunt omnibus: nullam urbem gentemq; oppugnant, & sapientiæ armis terrarum scelera debellant. Ad summam, Herculis usurpant munus, & animo invicti sunt. Sic tu quidem, mi CANONHERI, quem inter Doctos amo,

amo, inter Bonos ſuſpicio, inter utroſque veneror: ſic tu, inquam, & Clarus & Magnus es, & quod æſtimo, mihi Amicus. Eſſe perge, & hoc age, ut Hippocratem induſtriâ tuâ Politicum brevi videamus. Audeó-ne dicere? generi humano dabis, quod nullus hactenùs Medicorum potuit, nullus Politicorum. Vale.

EPISTOLA III.

BERNARDO PVTEANO,

Procancellario Iuliæ.

BEne eſt, humanitatis inſtrumentum eſſe calamum voluiſti, & epiſtolari velut teſſerâ me tibi jungere, quamvis obſtrictum. Nomen omitto, quia nomen: Prudentiæ, & Dignitati tuæ verum perſolvo pretium; quibus ſic uteris, ut privatim nemini gravis ſis, publicè omnibus utilis. Ego ſcire

utrumque

utrumque possum, quà privatus, quà publicus: nemo nescire, nisi tam rudes omnes sint, ut ne pulchrum quidem intelligant; aut tam sinistri, ut nolint intelligere. Etiam, qui non cernunt Solem, sentiunt; tota hinc natura pendet: diem, annum, vitam sic distinguimus. Labores tui velut radii sunt, à cælo sunt, & lucent omnibus: diem faciunt, etiam nube impediti. Tantum vir unus potest, sed ille reliquis major, & verè vir, verè unus, qui plures potest despicere, & cunctos tolerat. Munus hoc tuum, fateor, onus est: sed Cæsarem, cui vivis, cogita, & oneri sufficies; imò te cogita, Cæsari natus es: non poterit autem nisi ex arduis deinceps nominis tui gloria augeri. Ex arduis, ut nobis quidem videntur: cessura industriæ, & dexteritati tuæ; ut velut per luctam nobilior fama sit, legationisque dignitas

gnitas illuſtretur. Sed nec mora illa mira eſt, in gente quam deſcribis. Vbi plures imperant, ſinguli difficiles ſunt: & nônne ut diſſideant? Sic trahuntur conſilia, dum ſuam quiſque opinionem æſtimat. Sapit, qui ignem temperat ingenii, & ad frigus inclinat; qui in rebus decernendis non ſuam optimam ſententiam putat; ſed optimam, ſuam. Ignoſce, ſi hæc liberiùs: ſed tanquam familiaris eſſem, ſcribere volui; videri poteram, ſi humanitatem tuam intuerer. Vale.

EPISTOLA IV.

Bruxellam.

PETRO PECQVIO,

Brabantiæ Cancellario.

VIcini hi mei ſunt, Ampliſſime Vir, ſed mei ſunt, & tanquàm Amicos appellem. Vt miſeros ſcias, in lite ſunt, & fortunis defenden-

dis,quæ attritæ,fortunas coguntur impendere. Caussam commendo, bona est; sed quia senescit, periculum,ne mala fiat. Annos jam totos quindecim trahitur, quot sæculi hujus sunt; à Curia Lovaniensi, in qua adversarii ceciderunt, ad Brabantiæ tribunal translata. Duo terræ jugera, sed horum hominum divitiæ sunt, de quibus controversia est: si moram compares, majus temporis damnum fatearis. Finem verò victores, iterumque felicem, auxilio tuo, & me scribente, sperant; debituri sic quidem, quantum boni tranquilla paupertas habet, quantum referre nunquam poterunt. Plura scriberem, nisi pro his scriberem, & nisi ad te. Fac, Amplissime Vir, ut quàm me, & æquitatem ames, jam vicini mei intelligant: quos sic magis vicinos, id est meos, & in propinqua parte amicitiæ habiturus sum. Vale.

EPI-

EPISTOLA V.

Duacum.

ARNOBIO RAESSERO.

ITerum te compello, mi RAESSERE, & novo munuſculo excito. BRVMA eſt, atque adeò Muſarum mearum frigus. Tu lege, affectum adfer, & incaleſce à tua æſtate. Amare te ſcio, ſed ſcribere cupio. Epiſtolam, ſuaviſſimam eſſe moleſtiam experieris; quæ una agit, ut quem non vides, alloquaris; quem non audis, videas. Mirum hoc? at magis erit, ſi non uſurpas. Ego ſanè, quia te amo, videre cupio; ſed quia alloquor, Epiſtolâ dignus ſum. Silere ſemper, & non amare idem eſt: imò jam non amare cœpit, cui ſilentium, vel ut propriè, & cum Philoſopho dicam, ἀπροσηγορία ſuavis eſt. Vale.

EPISTOLA VI.

Bruxellam.

FRANCISCO PAZIO,

Archiatro.

NOn litteris, ſed ſermone effundere coràm gaudium decreveram, quod è tuis cepi. Nam profectò Virtuti debetur hæc fortuna; nec ulla tam luculenta erunt præmia, quæ divino ingenio tuo minora non ſint. Princeps quid pretioſius vitâ, &, quæ ſecunda vita eſt, valetudine habet? Hanc utramq; tibi Æſculapio ſuo debet, & debere ſe agnoſcit: liberalis eſt. Perſolvit gratiam; ſed magis beneficium fatetur, quod accepit. O pulchrum exemplum! non petenti dedit, quia meruiſſe ſcivit: rogari noluit, quia te ſcivit nunquam petiturum. Fruere hoc affectu, & ſimul, judicio Principis. Sic amari, magnum

magnum eſt : his dignum cenſeri præmiis, majus puto. Iſta quidem obiter nunc ſcribo, ne diutius ſilére videar; plura, ut ſpero, brevi dictu-rus, ut impunè intereà ſileam. Vale.

EPISTOLA VII.

Coloniam.

ARNOLDO MEGENO,

Propinquo ſuo.

EGregiè tu quidem, mi MEGENE, quòd ſcribis; modeſtè, quod excuſas. Ac neſcio, magis deſiderio, an verecundiâ tuâ capiar. Scribere debuiſti, ut ſanguinem proderes; excuſare potuiſti, ut indolem commendares. Iſtic intelligere potui, te ex meis eſſe : hîc verò, te Muſarum dignum ſtudiis, & jam ornatum. Bene habet : Humanitatem amplexus es, ut verecundus eſſes : pudorem, ut ad omnes mox virtutes properares.

Hunc laudo, ætatem erigo; sed infantiam, quâ verecundus es, non agnosco. Quid enim? Linguam jam stilus facit, quem jugi scriptione si exercere perges, Eloquentiam tibi, Reginam artium vindicabis. Legere tamen debes, ut cum fructu scribas; examinare, quod imiteris; excerpere, quod ingeniosâ imitatione tuum facias. Lectio vaga ne sit, aut velut errans. *Nusquam est, qui ubique est*, ut Seneca ait: &, *Certis ingeniis immorari & innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat*. Aurea Ciceronis monumenta nunquam satis commendem, sed tempore distinguenda. Epistolæ & orationes satis te jam occupent: his addantur Officiorum libri; quos nec provectior depones. Ciceroni non aptiorem comitem, quàm Quinctilianum dederis. Quia verò in votis est, Æsculapio placere, etiam Plinii Histo-

Historiam Naturalem delibare incipies, & aureum Aurelii Cornelii Celsi opus. Ad meos etiam libros, cùm affectu singulari ducaris, non impedio quominus accedas. Ex Orationibus tamen laudationem juventutis Belgicæ, tanquam Iconismum bonæ indolis, familiarem tibi habe, & ad hoc exemplum exsurge. Modus potissimùm observandus est, ne aut totus sermonem, aut contrà, eo neglecto, rem solam sequaris. Quid quisque, ac deinde quomodò dicat, nota: invenies autem, jucundius rerum examen esse, si sermonem prius subegeris. Sed nolo te dulcedo decipiat. Quędam palato ingrata, maximè stomacho prosunt. Cùm invenitur voluptas, fugitiva est: quæri debet. Ergò non tam quid delectet, quàm quid nutriat, ama: non pulchra tantùm, sed difficilia excerpe: imò cogita pulchra esse, quæcumque non

intelliges. Quoties aut insignem sententiam, aut luculentum leges dogma, experire, an & scribere de tuo possis. Nihil hac æmulatione utilius: tuum enim cum Auctoris ingenio comparabis, & sic acues. Quæ imitaberis, non patieris integra esse, ne aliena sint: nisi enim, ut sic dicam, concoquantur, observasse, non invenisse videberis, soliusque memoriæ fructum ostendes. Sed tamen multa quoque ediscenda sunt, ut & alienis verbis loqui possis: etiam Poëtæ alicujus; & cujus potissimum? Tu elige. Horatius quidem curiosâ felicitate suâ omni argumento sufficiet, & ex quo uno hauurias omnia: Virgilium verò nisi adjungas, alterâ carere manu videaris: nisi Ovidium, utrâque. Tuâ sponte mox ad alios ibis, & ubiq; Apollinem invenies. Ibis, sed ne à tribus illis recedas: denique, ibis, cùm majorem liber-

tatem

tatem mox ſtudia exigent, & omnium re librorum facient civem. Vnum moneo, & ſedulò inculco, ne Græcæ linguæ ſtudium omittas. Etenim neceſſaria hæc eruditionis pars eſt, ac fruſtra tibi Romanæ placeant Litteræ, ſi Atticas faſtidis. Quicquid Italia ſcripſit, rivi ſunt: fontes Græcia recluſit. Homerum, Demoſthenem, Platonem, Ariſtotelem, Hippocratem, Galenum, & tot alios, quis plenè intelligat, niſi ſuâ loquentes linguâ legat? Interpretationes, meræ plerumque tenebræ ſunt, ſcriptoriſque intimum ſenſum aut venuſtate ſpoliant, aut luce, aut veritate. Tu diem & Solem quære, faces ſperne. Hæc breviſſima ad ſcientiam via eſt, quam ſi amas, me ama; imò ſi me amas, hanc ama; ſeduloque annitere, ut aliquando præluxiſſe familiæ videaris. Vale.

EPISTOLA VIII.

Duacum.

LVDOVICO RIBALTIO,

Canonico Præmonstratensi.

MEruisti affectum meum, Reverende Vir, priusquàm expeteres; munusculo pridem in me liberalis, ut benignus epistolâ esses. Et tamen quàm timidè scribis! Iuro tibi Genium meum: non est me alter homo facilior, aut qui proniore pectore φιλανθρωπίαν colat. Mare cogita, sed perpetuâ malaciâ tranquillum ac stratum, imò ad Lepores suavitatesque salsum: hæc conditio mea est. Influentes igitur recipio toto sinu amnes omnes, & magno naturæ æstu recipocro. Non ignaviùs amo, quàm amor; nec minùs fervent aquæ meæ, quam exsurgunt. Tu verò puro, & tamen præcipiti latice fluis.

fluis. Impetum epiſtola tua oſtendit, virilis illa, & tamen verecunda; imò verecunda, ut virilis eſſet. Nam profectò dubitaſſe, an ſcriberes, quid aliud fuit, quàm ſuſpendiſſe amoris ſigna, ut vehementius effunderes? Modeſtia velut cataracta, affectum ſtitit, & ſimul roboravit. Hinc Laudes, quibus, non dicam, ornor, ſed propemodum obruor. Belgarum me appellas lumen ſiduſque, & quodammodò cælo inſeris. Præfiſcinè, mi RIBALTI: nebulas ego meas, nubes, tenebras patior, nec ad illa

Edita doctrinâ Sapientum templa ſerena

adhuc ſurrexi. Aliquam effero ingenii facem, & tu Solem putas? Bene eſt, latere deſii; placere bonis doctiſque cœpi. Te inter eos eſſe, è munuſculo, quod dixi, collegi, in epiſtola vidi. Eſſe perge, & me amare, ut cœpiſti, jam tuum. Tuum enim & munuſculo & epiſtolâ feciſti. Vale.

EPI-

EPISTOLA IX.

Lutetiam.

NICOLAO PELLOQVINO, I.C.

E Profundo tandem ſilentio velut emergens, ſcribo, & conſtantem amorem teſtor. Abſit, ut minùs diligam, quàm debeam: imò abſit, ut non diligam, niſi cùm loquor. In pectore mihi PELLOQVINVS meus hæret, & ſic interdum latet: ſemper vivus, non ſemper conſpicuus; ut nonnunquam nube tegi æternùm ſplendentia aſtra ſolent. Atque utinam tam facilè me cælum ego dicam, quàm tu ſidus es! Sed eſſe nolim, niſi à te luceam. Quid igitur? Silere potui, ſed profectò mutus non fui: pectore, non calamo oſtendi quam amarem; ut mox tamen ſcriberem me amare. Neque enim excuſo ſilentium, ut uſurpem; verùm abrumpo, ut condemnem. Tuas nunc

ſi

ſi flagito litteras, facio quod amor ſuadet. Hæ deliciæ meæ ſunt, quibus ne caream, vehementiùs meo hactenus errori atque negligentiæ iraſcar. Vide hoc nunc carmen, & de frigore frigus meum excuſa. Faciliùs ſanè fuit verſus ſcribere, quàm ad calorem venire. Ergò FLORITII cauſsâ ſimpliciſſimo furore inſanire auſus ſum. Vale.

EPISTOLA X.

Duacum.

ARNOLDO PLANCIO CERVIO.

O Ingens delictum meum! mi PLANCI: Amicitiæ numina violavi. Hem, tam humaniter te ſcribere, tam negligentem me eſſe, ac ſupinum! & tamen incalui ab epiſtolæ tuæ igni, laudibuſque excitatus ſum; non ut reſponderem tantùm, ſed ut copioſè. Otio tantillo opus erat, & animo curarum vacuo. Vide autem, cùm littus peterem,

terem,& undas vitarem,novo æstu in altum abreptus sum, & mox decumanis, ut sic dicam, negotiis jactatus. Sic vita est, & idem omnes mare navigamus. Potest aliquis fortasse quietus esse,nemo securus. Fluxum est quicquid vides. Vt pelagi fidem suspectam habeas, & cælum fallit; ponuntque venti, ut rursum sæviant, tempestate post breves velut inducias resurgente. Mihi crede: ne Litteræ quidem tranquillę sunt:nunc hoc agendum est, nunc aliud: officiis distringimur, & tanquàm otiosi, magis occupamur. Eò dico, ut nec in ipsâ libertate, liberum me arbitreris. Itaque distuli scribere, & cùm intereà MVLDERVS noster discederet, moræ fiduciam oblivio excepit. Quid fit? tandem aliquando tablinum meum excutio, ecce in manus epistola tua venit. Ita me Deus,erubui. Quid agerem? Candoris

doris esse arbitratus sum, delictum confiteri: quod facio, & te vel ideò jam complector vehementiùs, quia tam bonâ amicitiâ seriùs fruor. Reliquum est, ut quantum nomini meo tribuisti, tantum longo nunc errori concedas. Nam, aut fallor, aut deprehendes ipse, non minùs humanum esse, ignoscere, quàm amare. Ad me quod attinet, benevolentiæ fœnore pensabo temporis damnum; & in amicitiæ rationibus inveniam, quod officio majus sit. Sic crede, & vel me intimum puta: scripturum, etiam cùm non provocabis. Clarissimum HOIVM ut ex me salutes rogo. Vale. Pondus huic epistolæ addo, Poëmatium istud. Carmine, sed simpliciter, descripsi Hiemis bona; quæ tu fortassis mala appellabis. Quicquid sit, frigore incalescere potui, ut majori quis ardore Æstatem collaudaret. Tu me, si versus hos inspi-

inspicies, ferventius amare dices, quàm poëtari. Iterum vale.

EPISTOLA XI.

Bruxellam.

FRANCISCO PAZIO,

Archiatro.

VOlebam citiùs ad tuas, sed & debebam. Quid dicam? in occupatissimâ Charistiis urbe ego quoque impeditus fui, & ἐγχρονίζειν debui. Ergò in ipso convivio litteras tuas accepi, id est cibum ferculis omnibus meliorem. Amas BEMBDENUM, & hoc suave est; ex mea commendatione amas, & hoc suavissimum. Ad rem quod attinet, prudentiæ tuæ tantum tribuo, quantum ulli. Faciant igitur officium suum, qui Censores constituti: tuum ego favorem, in occasione depromendum, sacrosanctum arbitrabor. Sed quemadmodum

amplius

amplius eſt, hæc ſtudia erigi, quàm hunc vel illum promoveri: ita eorum nunquam mihi conſilium placuit, qui ut ſtipendium invenirent, alicui detraherent. Hoc certè eſſet, aliis placere & prodeſſe, ut noceres aliis. Fruantur qui jam docent fortunâ, quâ digni ſunt; accedant ſpe novâ, & aſſurgant paullatim, qui ſimul ornare hanc Spartam audent. Si fiat, brevi apud nos erit, quod alii jactant, & quod deeſſe ſtudiis noſtris ſoleo ingemiſcere. Hic fortaſſis morbus meus eſt: nimis ἰατρικὴν amo. Sed an morbus? cui cùm nuper ignoſcere unus & alter potuit, maluit iraſci. Infenſos ego leniſſimè ſuſtinui, ad tranquillitatem redactos amare perrexi, pergo, pergam. Hoc me quoque Litteræ docent, illæ amœnæ, illæ humanæ, illę tuæ. Vt tu me igitur ames, votorum ſumma eſt. Amœnitates, quas promiſi, ab ATHENIO meo accipies.

C Quidn

Quidni meo? Hic, & olim in Italia mihi noto. Suavissimi esse ingenii virum, & affectu tuo dignum, ipsâ consuetudine experieris. Vale.

EPISTOLA XII.

Bruxellam.

CAROLO DELLA FAILLE, *à Secretis Statûs.*

NOn exiguum hoc beneficium Principis, Præsidis, Consilii est, quod nuncias: nec vulgaris humanitas; quâ me tibi obstringis. Scire ego cœpi, quantum accepi; quia scribendi tu molestiam assumere voluisti, tam affectu pronus, quàm epistolâ facilis: ut sic quidem nunc audeam tuâ operâ & interpretatione gratiam Principi, Præsidi, Concilio prælibare. Ergò alterum hoc jam beneficium tuum erit, loqui: indicare, inquam, obligatum me esse, & fore, quamdiu ipse

ipſe ero. Fac quæſo, loquere, indica. Majoris enim ſermonem tuum, quàm epiſtolam faciam: quemadmodum amplius eſt, gratum eſſe, quàm obſtringi. Atque ego nolim munus, niſi ſaltem agnoſcere videar: & malè accipiam, niſi poſtquam accepi, æſtimem. Vt benevolentiæ tuæ fructum brevi videas, ſedulò annitar. Vale, & amare perge: ita enim beneficium judicio confirmabis.

EPISTOLA XIII.

Antuerpiam.

PETRO ANDREÆ CANONHERIO *Suo.*

O Gratum mihi munus, mi CANONHERI, è micantibus Philologiæ floribus contextum! Sed, ut video, omnia ingenium tuum poteſt, & mihi tribuit omnia. Nam tanquàm in poteſtate temporum

habeas vices, perenne Ver facis, & sic donas Flores, ut fructus simul carpamus. Video Flores, & mel doctrinæ lego, pulchro stipatum ordine, digestumque. Hoc est apiculam agere, scriptorum gnomas ad usum transferre: hoc est mutuari verba, ut famam reddas; scrutari terram, ut aurum eruas. Meherclè quæ sic citas, in splendorem das, & æternitati jungis. Atque ego nesciebam, è meis alibi spinis amœnitates posse nasci. Ecce, tantum debeo: tuâ operâ pulcher esse incipio, ubi horrebam; clarus, ubi delitescebam. In Medicæo quidem meo, & Irruptionibus fateor esse, quod πολιτικῶς videatur scriptum: sed tam facilè eo carere poteras, quàm abundè alii copiam suppeditant. Excusationem igitur amolire: & amare me perge, quemadmodum amas. Ne ingratus sim, conabor & ipse liberalis esse. Vale.

EPI-

EPISTOLA XIV.

Bruxellam.

PHILIPPO GVILIELMO,
Principi Auriaco.

QVid noctem accuso? ubi virtus tua splendet, dies est: facis, ut in terra cælum admiremur. Sic circumducis æmulum Solis jubar, ut relinquas ubique; & tanquam sis ubique, prodes. Non vultum quidem tuum ego nunc video, sed beneficia. Tanquàm adsis, amas; & armatus faves Pacis artibus, ut quo subsidio deceat fortem esse, ostendas. Abes igitur, nec abes: Martem cogis, sed Minervæ auxilio, & sic satellites quoque habes Musas. Sanè excipient illæ, quæ fortiter, prudenter, feliciter in Galliâ pacandâ facis, nec intermori unquam magnarum hanc rerum famam sinent. Ferro promptus, consilio sa-

 lutaris,

tur alii, alii vereantur. Sic occupatus, mihi tamen otiosus, id est benignus es ; quem novo aureoque liberalitatis radio beas. Quid dicam? ἀμφιδέξιος es, arma, & simul munera geris, imò dispensas: dexterâ bellicosus, sinistrâ largus, sed animo divinus. Quid manum distinguo? utrâque utramque virtutem exprimis, & ubique non minùs liberalitatem tuam, quàm robur testaris. Quare populi & provinciæ se obstrictos fatentur: & ego me felicem puto, quia bonitati tuæ debeo; quia, ut deberem, placui. Hoc summum est, ut placere pergam: sic enim felix esse nunquam desinam. Vale & vive Virtutum amor; & permitte, ut quem foves animasque conatum meum, in tuis laudibus occupem. Cùm sic scribam,

scribam, & proscribam mortem, nunquam ipse moriar. Vale, & vive.

EPISTOLA XV.

Bruxellam.

AVBERTO MIRÆO, V. C.
In Oratorium Principum assumpto.

SCriptionis novum nunc velut auspicium sumo, ut ostendam quid continuo, imò, si permittis, quotidie facturus sim. Hoc epistolarum commercio, alter alterius capere conditionem videbimur, ego in Aulâ, tu in Academiâ versari. De Principe & Republica ego audiam, tu de Litteris: dices ipse, ad Principem & Rempublicam Litteras pertinere. Hoc agamus jam pauci. Quotus enim quisque ad Philologiæ amœnam tranquillitatem demittit animum, aut studia Antiquorum æstimat? Vt saperent multi, desierunt elegantes esse,

omnisque ad lucrum doctrina c
versa est. Itaque Historiam trac
re, Suadam colere, cultum seq
luxuriantis ingenii morbus habe-
tur. Reddere lucem rebus, & tem-
porum fulcire memoriam, curio-
sum potius, quàm utile existimant;
quasi qui hoc agit, otiosus vivat, &
à scopo aberret studiorum. Ego
quoties te intueor, profectò anim-
adverto, plerisque hodie præcipua
omnis doctrinæ instrumenta, ac si-
mul ornamenta deesse. Etenim,
quia non tritâ incedis viâ, ostende-
re admirabili industriâ pergis, quid
omnino sit bene de Ecclesiâ & Re-
publicâ mereri. Animum rebus, in-
genium libris impendens, sustinui-
sti onera, publicasti opera, quæ non
hæc solùm ætas miratura sit. Acce-
dit judicium Serenissimi Optimiq;
Principis, qui virtute, prudentiâ,
doctrinâ tuâ motus, noluit secun-
dum MIRÆVM nisi apud se esse.
Sic

tur, ſed litteræ æſtimantur. Me verò quia favore ſuo idem Princeps complecti voluit, quid niſi tibi junxit? Itaque communibus iſtis ſtudiis noſtris tantum beneficium adſcribo. Te adibo verò non modò velut vicinum, ſed velut præſentem; te, inquam, candidiſſimo affectu rerum mearum omnium arbitrum conſtituam: imò jam conſtitui. Vtere jure tuo, tuus ego ſum: ſed eſſe me tuum tam luculenter oſtendam, ut perfectum amicitiæ exemplar ſæculis omnibus relicturus ſim. Huc compellor ab ipſo Deo: tu me trahis quoque candore tuo, illo verè Belgico, quem ut benevolentiæ patrem, ita melioris naturæ filium ſoleo appellare. Præterea Muſæ me & Litteræ trahunt, quæ in tuo unius gremio vigorem recipient, è tuo ſinu fulgebunt. Tu lucem dabis ingeniis; tu vero &

rem, frigus pelles. Iam quid... disciplina mea, te respicere BURGUNDIUS cœpit, egregius & dignus Apolline Vir, qui libros Elegiarum paravit, tuo potissimum consilio edendos. Suaviora & exactiora carmina, ab ipsa ne quidem Antiquitate exigas. Ego illi auctor fui, ut musteum hoc ingenii opus, si tu suaderes, Amplissimo Cancellario PECQUIO dedicaret. Exspecto ejusdem ad te Elegiam, ex quâ de Genio universi laboris judicabis. Antiquitatibus DIVÆI vix adhuc uti cœpi. Sed cur & non publicum habemus hunc librum? Primus à PLANTINO editus est: secundus ejusdem officinæ debetur. Si quid potes, fac obsecro, & MORETI suscipiant, à quibus hoc beneficii ipsa patria exigit, ego & boni omnes flagitant. Vale Vir Clarissime, & æternum Amice.

EPI-

EPISTOLA XVI.

Mediolanum.

IO. BAPTISTÆ SACCO,
Senatui Mediolanensi à Secretis.

LItteras tuas IV. Eid. Novemb. & illas XIV. Kal. Decemb. scriptas eodem die accepi: sed cur non argumento lætiores? Hoc etiam malignitas potuit, ut candori tuo molesta esset? O conditionem bonorum! Sed quemadmodum res hæc geritur, profectò sciunt adversarii mei, in tuo me potissimùm pectore vivere: sciunt, gravius esse vulnus, quod non infligunt tantùm, sed derivant. Te petunt, ut magis ego lædar. Quid agitis, ô homines livore prognati, turbarum fomites? si omnino statuistis mali esse, desinite ingeniosi esse: in me, omissis ambagibus, odium, *in me convertite ferrum.* Ego sum, qui

Auctoris

[redacted] o Præstantis-
sime virorum, tam strenuè hanc caussam egisti, ut Belgis admirationi sis. Sic verò adversarii dejecti sunt, ut majori furore videantur exsurgere. Nimis illis prudens doctusque fuisti, qui illudere candorem tuum ausi sunt. Postquàm te noverunt, talem Amicum magis jam Puteano invident. Age igitur, in me exonera quicquid illi moliuntur. Ferre potero, quicquid tu defendere; ac despici ego malo, quàm ut tu lædaris. Epistolæ illæ tuæ seriæ & accuratæ sunt; & sic virtus tua, innocentia, probitas te felicem faciunt, & illustrant. Quod in tota natura fit, alienum à nobis ne putemus. Ecce, Solem obvolvunt nubes, & ille mox jubar suum vindicat: intercipiunt hi velut fu-

mi

mi affectum tam magni Antiſtitis, ut accendant. Tam enim neceſſarium eſt, amari à BORROMÆO virtutem doctrinamque, quàm lucere Solem. Qui impediunt ſolitæ humanitatis radios, videri tam illuſtre ſidus nolunt: quod nos tamen vel invitâ invidiâ adorabimus. Non ſentiemus benignitatem, & colemus: quod autem noſtrâ culpâ non fit, neque noſtrum erit. Sed iterum te rogo, vir mortalium omnium amore digniſſime, ut in humeros meos totum hoc livoris onus conjicias: cùm te lætum aſpiciam, nihil me gravabit: & ut ipſe lætus ſim, omnibus criminationibus conſcientiam opponam. Vale, & ſic me animatum ama.

EPI-

EPISTOLA XVII.

Lugdunum Bat.

DANIELI HEINSIO, V. C.

QVá claudis epiſtolam formulâ, ego ordior: *Vtinam te præſentem habeam & complectar!* Feriæ & anni tempus nónne permittebat? quod niſi utrique liberum, nimis arctè Muſarum ſtudia habeantur. Simpliciſſima amicitiæ noſtræ innocentia nemini gravis, aut ſuſpecta eſſe poteſt: ſermones diſſertationeſque omnes exarmata Minerva circumſcribit. Nemini moleſti, ingenium colimus; & ne graves noſtro, non uni utiles ævo ſumus, cum antiquo agimus, pacis, tranquillitatis, & ſapientiæ Myſtæ. Quid vetat igitur, quominùs mutuo interdum conſpectu, & alloquio fruamur? Fac, quod cupis, & proximis his vindemiis te mihi indulge. In hac Arce experieris, nihil

ſuavius

...vius esse, quàm cum PVTEANO esse; nihil beatiùs, quàm à populo dividi. Ita enim hic habito, ut si delicias consecteris, à cælo derives; despicias, quicquid in terra pulchrum est. Vale, & veni.

EPISTOLA XVIII.

Antuerpiam.

PETRO ANDREÆ CANONHERIO

Suo.

VANNOZZIVM tuum, imò jam meum, nisi amem, à litteris & humanitate alienus sim, tuo & illius affectu prorsùs indignus. Vtinam verò videam aliquando virum! utinam complectar! Nunc animo utrumque facio, & tot simul adoro virtutes, quot cùm aula capere non posset, Sapientia recepit. Hoc profectò est verè vivere, otio egregiè uti; animum, æternitatis æmulum, subducere ambitiosis officiorum

quam enim ad-
ministrare negotia Principum desiit, orbi universo præire ad felicitatem aureis scriptis cœpit: ut sic quidem ampliùs egisse mihi videatur, quàm si magno rerum ac negotiorum æstu sudaret. Potuit majori strepitu, maluit majori fructu clarus esse. Hem, quàm me capiunt Monita illa Politica, Ethica, Christiana; illæ Epistolæ divinitùs quodammodò dictatæ, illæ gemmæ, illæ deliciæ, quas nemo ingeniosiùs laudavit, quàm qui in exemplum protulit. Te amo, mi CANONHERI, & VANNOZZIUM amo: tui muneris est, ut quanti utrumq; faciam, ille sciat. Quia etiam videre illum complectique non datur, te cupio: illum in te. Vale.

EPI-

Suo.

NIsi silentium ipse meum accusem, parum amare videar. Profectò increpatione dignus sim, & propemodùm irâ tuâ; sed illâ suavi, quæ in majorem solet benevolentiam exardescere. Vt candidè dicam, cessavi per hos aliquot dies à scribendo, totus continuusque in dissertationibus publicis. Atq; hic impetus meus est, ardore quodam singula exsequi, nec cessare citra metam. Nónne & exonerare animum debui, ut liberum, nullisque pressum negotiis tibi sisterem, tanquàm in otio agenti? Nunc respirare videor, nunc meus esse, ut & tuus sim. Sanè talis etiam nuper fui, cùm Bruxella me haberet. Etenim ædes

absente, larem salutavi. In
ab ancillâ eram; & huic seriò no-
men meum indicavi. Neglexit igi-
tur? sed mulier peccavit, & proclive
vitium est. Quod si tamen ancillam
habes, ut P. ille Piso olim servum,
obstrictum πρὸς τὰ ἐρωτώμενα λαλεῖν,
καὶ μηδὲν πλέον; mulier non peccavit,
nec ullum sanè vitium est. Nam ad
Pisonem quod attinet, is Clodium
ad convivium vocaverat: cùm ho-
ra cœnæ adesset, convivæ veniunt
cæteri, non venit Clodius: expecta-
tur tamen, & frustrà. Piso igitur
servum compellans, Quid tu, in-
quit, ánnon invitasti Clodium?
Omninò, ait servus. Iterum Piso:
cur ergò non venit? Quia ventu-
rum se negavit. Cur id non statim
dixisti? Quia de eo non fui abs te
interrogatus. Fortassis & ancilla
tua sciscitantis expectabat vocem,
ut de homine sibi incognito re-
sponderet.

...ducet. Extra jocum. Quemad-
modum te meum amo : ita nihil
suavius fuisset, quàm complecti.
Splendore, aut pompâ, ne me capi
censeas : augustissimus amantis
candor est, & gratiis suis allubescit.
Alibi oculorum, apud amicum ani-
mi deliciæ sunt. Et quid miserius,
quàm si laquearia auro distincta, &
parietes textili picturâ vestitos vi-
deas, at libertatem desideres? Malo
amicum sine lare & tecto, quàm
larem & tectum sine amico. Pectus
mihi tuum palatium est, animus
thesaurus. Possides ATHENI, quod
nullo pretio divites illi moliuntur,
nullo fastu exprimunt. Cùm omnia
habent, tranquillitatem non inve-
niunt : & sic habent omnia, ne fe-
lices sint. Ferre qui fortunam suam
potest, opulentus est; & ejusmodi
tractas studia, ut quæ in rebus sint
onera, quæ ornamenta, distinguas.
Quid moles mihi turresque nomi-

mulier peccavit, & procul ve
vitium eſt. Quod ſi tamen ancillam habes, ut P. ille Piſo olim ſervum, obſtrictum πρὸς τὰ ἐρωτώμενα λαλεῖν, καὶ μηδὲν πλέον; mulier non peccavit, nec ullum ſanè vitium eſt. Nam ad Piſonem quod attinet, is Clodium ad convivium vocaverat: cùm hora cœnæ adeſſet, convivæ veniunt cæteri, non venit Clodius: expectatur tamen, & fruſtrà. Piſo igitur ſervum compellans, Quid tu, inquit, ánnon invitaſti Clodium? Omninò, ait ſervus. Iterum Piſo: cur ergò non venit? Quia venturum ſe negavit. Cur id non ſtatim dixiſti? Quia de eo non fui abs te interrogatus. Fortaſſis & ancilla tua ſciſcitantis expectabat vocem, ut de homine ſibi incognito reſponderet.

censeas : augustissimus amantis candor est, & gratiis suis allubescit. Alibi oculorum, apud amicum animi deliciæ sunt. Et quid miserius, quàm si laquearia auro distincta, & parietes textili picturâ vestitos videas, at libertatem desideres? Malo amicum sine lare & tecto, quàm larem & tectum sine amico. Pectus mihi tuum palatium est, animus thesaurus. Possides ATHENI, quod nullo pretio divites illi moliuntur, nullo fastu exprimunt. Cùm omnia habent, tranquillitatem non inveniunt: & sic habent omnia, ne felices sint. Ferre qui fortunam suam potest, opulentus est; & ejusmodi tractas studia, ut quæ in rebus sint onera, quæ ornamenta, distinguas. Quid moles mihi turresque nomi-

nas? pulcherrima domus eſt, quæ ſplendorem à domino capit. Miſer dominus, qui ſine domo parvus. Sapiens diceret, quid ſtructurâ opus eſt? cælo tegor, & univerſo orbe habito. Nemo majus domicilium habuit, nemo ornatius. Sic Diogenes vixit, qui vas ſuum velut veſtem habuit; ut injuriam aëris arceret, habitationem totâ naturâ terminavit. Qui ſuperbiſſimè atria, triclinia, cubicula inſtruunt, qui ſtellis pingunt fornices, & cælum imitantur, ludunt imagine, veram nec magnitudinem, nec pulchritudinem intelligunt. Sed nolo contracto ſupercilio ſeveriùs philoſophari. Tua inter cives honeſtiſſima conditio eſt, res, Majorum beneficio, commoda, domus uſui ac modeſtiæ ſtructa, ad tranquillitatem inſtructa. Nullo eges, nemini invides, & cùm inſanas magnorum ſubſtructiones potes contemnere,

quàm

quàm tibi cùm lare tuo benè conveniat, intelligis: illo contentus, & sic beatus, magis vivis, quàm habitas; cùm plerique sic habitent, ut in magno domicilio mortui videantur. Profectò ingenium liberaliter occupare, hoc est vivere; imò luxu, otio, inertiâ non duci, hoc est vivere. Quare limini tuo inscribas licet: HIC VIVITVR, MAIORI OPERE SEPVLCHRA SVRGVNT. Quæ sepulchra? ædificia atque palatia ignavorum, qui cùm vivere nesciunt, hoc agunt, ut habitent. O splendidi carceres! ô magnifica infelicitas! in tam laxis ordinatisque ædibus non libertatem non tranquillitatem possident. Vtraque hæc tua est, quia concludi utramque pateris; quia non sede, sed animo teipsum metiris. Vagentur alii per ampla conclavia, angustias accusabunt: tibi in angustiis tuis nihil parvum erit. Perambulent

lent hortos; tua in libris amœnitas erit. Sine arbitris, sine metu, quæcumque voles, facies: voles autem, quæ honesta sunt. Ad me quod attinet, quia in Arce ago, videbor fortassis alienum à conditione meâ sermonem usurpare, quasi culpem palatium, & incolam. Quid dicam? Nollet fortassis, qui Litteras non tractat, sic habitare. Nec ego tam muris istis, quàm felicissimâ solitudine delector. A populo semotus, ad meipsum accedo propius, & cum Antiquitate versor. Legendo, meditando, scribendo horas distinguo, dies duco, in otio occupatus sum. Ergò aliud hic specto, quàm plerique solent; ut vigeam, ut valeam, ut meus sim, & simul æstuantia multorum vota despiciam. Erexi velut è nube caput, atque serena contemplor. Musis cinctus, & familiâ felix, beneficio fruor Principis mei, qui ut benignissimâ

gniſſimâ liberalitate foveret non ignavæ quietis vota, Arcem hanc ſuam paſſus eſt in Parnaſſum commutari. Neſciunt felicitatẽ meam, qui à ſolâ me domo cenſent. Hac quia emineo, quid à Principe acceperim, ſcio; quia conſpicuus ſum, ignorari beneficia ejuſdem non poſſunt. Vt Litteras eveheret, in ſublimi me eſſe voluit, in Arce vivere, ne vel domicilio ſejunctus eſſem. Vaſtitate igitur loci, aut amplitudine cur percellaris? hîc & Minerva habitat: Muſæ, Gratiæ, Amœnitas familiam faciunt. Te rogo, mi ATHENI, ut ſi hac pompâ delectaris, ex intervallo nos viſas: ego quemadmodum vehementer te amo, ita domum tuam non deſpiciam. Arx erit, ubicunque te complectar: palatium tu candore, non ſumptu; humanitate, non magnificentiâ facies. Teſtimonium Lipſianum in epiſtolis meis denuò

expressum erat, ac sæpiùs ATHENI nomen. Id si retines, vulgatissimum mox erit. Parum autem à Belgico abit, aut non abit: deinde non satis decora explicatio illa sit. Nomina etiam audiri magis solent, quàm intelligi. Arbitrio tamen tuo statues: ego enim morem deinceps geram, amorem magis exprimam. Vale, & me fratris loco habe.

EPISTOLA XX.

Coloniam.

IOANNI GVILIELMO KEMPENSI, *Theologo.*

ETsi ignotus, & in alieno negotio te compello; videbor tamen & indulgere naturæ officio, si pro amico scribam; & tribuere amico, quid officium exigit. Est in Gymnasio Montano, & sic sub regimine tuo, LAMBERTVS HANCHARTIVS, honestæ conditionis adole-

adoleſcens, quem peculiari affectu humanitati, & ſimul ſeveritati tuæ commendo; ut favere velis juveni, per Eloquentiæ ſtudia ad Philoſophiam eunti; ut nec parcere, ſi aut moribus peccet, aut ingenio abutatur. Bonum & diligentem eſſe ſpero, & ſic amore tuo dignum. Sed ut talem eſſe ſciam, ſciam quid de ſtudiis ejus ſperandum ſit; verbulo uno alteroque ad me ſcribe. Hoc beneficio, & me obſtringes tibi, etſi ignotum, & quod alienum vocavi negotium, meum facies; de ipſo autem adoleſcente benè mereberis. Vale.

EPISTOLA XXI.

Bruxellam.

IOANNI LANGERAKIO.

AMici partes libenter ſubeo, & quem amo, cupidè juvo; amo autem, quem mereri exiſtimo. Hunc certè, egregium, ſed & tuo

affectu, & favore magnorum dignum juvenem, studiis & rebus, Academiæ & Aulæ aptum, imò, ut verbo dicam, capacem omnium. Audacter igitur talem commenda & promove; meum, si affinitatis nexus æstimandus est; tuum, si patriæ: sed meum tuumque, si me tuum arbitraris. Experrectus quidam in hac indole vigor est, officiosa in moribus humanitas, virilis in sermone maturitas ac decentia. Explora, dices. Quia exempla suorum sequitur, unam ante oculos habet honestatem: hac duce quisquis vitæ viam init, superat salebras, & propitio numine ad pręmia tandem eluctatur. Atque ego tali vicissim viro, tamque egregio Præsuli à manu & ministerio esse, præmium puto: dominum, & simul patrem nanciscis. Itaque hic meus, imò hic tuus, minister & simul filius erit; cùm omnia faciet, majorem

rem tamen affectum impendet. Amabit dominum, velut patrem; verebitur patrem, velut dominum: summa obsequiorum erit, placere. Quia non minùs ad omnia promptus erit, quàm aptus; utilis quoque futurus est. Promptus ingenii præstantiâ; aptus, animi probitate: quæ cùm conjunguntur, nihil pænè desideres. Ille verò quid possit, hactenus ostendit. Nam ut à Scholis specimen repetam, sic in omnibus versatus est, ut facilè in toto discentium numero eminere potuerit, nunc primus, nunc primo proximus: eruditione primus, fortunâ proximus, quæ & hic locum habet. Pari honore Philosophiæ lauream adeptus est, & per omnes artium gradus ascendens, mea adolescentis non implere tantùm vestigia valuit, sed superare. Inde Medicinæ amplexus studia, insignes quoque progressus fecit. Sed cùm

vitæ

vitæ ſubſidia à tutoribus & propinquis moroſè ſuppeditarentur, tranſtulit ad aulæ negotia virentes ingenii dotes, & munus à Secretis apud primarium patriæ virum egregiè ſuſtinuit, non ſcribendo tantùm, ſed agendo. Plura quid attinet? ſcribendo & agendo oſtendet ipſe, talem ſe eſſe, qualem laudavi. Epiſtolam exige; Latinè, Gallicè, Belgicè, & quocumque argumento, etiam ex tempore dabit: negotium impone; exſequetur, quâ induſtriâ, eâ dexteritate. Fac igitur quod facis: non alium miniſtrum Vir ille magnus velit, non alium noſter Patronum. Ac ſanè tam inſignes prorſuſque ſpectatæ virtutes accuratiſſimo ac fideliſſimo obſequio dignæ ſunt. Vale.

EPISTOLA XXII.

Mediolanum.

RAPHAELI MONTORFANO
Suo.

MEliora, mi MONTORFANE, nuncias. Sed ego in BORROMÆO Solem agnoſcam & meum, & ſæculi: nubes, nebulas, tempeſtates contemnam. Litteras mercatori Belgæ traditas, nondum accepi. Mora igitur longa eſt, ut ſolent pretioſiſſima quæque deſiderium expectantis accendere. SACCVS ille, clariſſimæ famæ vir, nónne φώσφορος mihi fuit? Talem verò cùm amicum habeam, & cùm te habeam, an non felix ſum? vel confeſſione æmulorum. De his verò ſatis. Tu jam quî vales? quî familia? Inſubribus ver redit, nobis acerrimo & inſolito adhuc omnia frigore conſtricta ſunt. Iraſcor hiemi, quam

quam laudavi nuper: ac certè si pertinax esse perget, ostendam, ignem stilo meo inesse. Repentinum autem hoc gelu est, & ab immiti Borea, qui benigniores hactenus Austros subitò dissipavit. Sic nihil in rebus perenne est; & quæ blandiuntur maximè, facillimè decipiunt. Nos caleamus, id est amemus, mi MONTORFANE, & felices simus. Vale.

EPISTOLA XXIII.

Bomeliam.

GERARDO FOLPARDO ASPERENO, *Cognato suo.*

QVid scriberem verò? quod domi, ut sic dicam, habes, & haurire à præstantissimâ indole tua potes. Nihil auribus dabo: sed ut magis etiam ad verum te exstimulem decus, animi mei expensum libratumque sensum candidè depromam.

mam. Vix esse ingenium quod magis placeat. Sic à Deo & Naturâ, ab arte & disciplina factus es, ut nullâ ætatis nube impeditus, cernas discernasque, quæ optima, pulcherrima, æterna sunt; ut quàm feliciter hæc intelligis, tam industriè consecteris. Virtutem scopum habes, & quæ huic proxima est, doctrinam. Huc igitur quia vota tua spectant, & jam properant, frustra consiliis meis dirigantur. Emissa velut sagitta est, & quia validâ manu, oculoque collineante, plausum & acclamationem expectat. A me quidem Homeri illam vocem nunc habes: Βάλλ' οὕτως. Hoc agere te volo, quod agis; pergere, ut cœpisti, à labore ad honorem. Themidem quidem sic hactenus coluisti, ut quod meritus es præmium, admittere debeas, nomenque jurisconsulti solenniter adoptare. De Medicinâ, quam vehementer amas, sen-

tentiam

tentiam meam suspendo. Discere hanc etiam poteris: an simul exercere? Scire poteris; an & Iurisprudentiæ jungere? Si forum, & curiam, & patriam cogitas, dividere curas cogitationesque non potes. Vt sacra & numina olim; ita & Mystæ distincti: tanquam & superstitio timeret operatione dividi. Scientiarum quidem postquam divortia facta, satis omnibus visum est, in singulis occupari; neminem in omnibus posse. Adde vulgi judicia. Iurisconsultum putat eum, qui hoc unum agit; & Medicum, qui hoc unum. Aliquid etiam opinioni hominum tribuendum est, ne velut contra æstum niti videamur. Adire tamen & Hygeiæ templa, imò inire poteris, ne hæreas. Quemadmodum alia vitæ instrumenta, alia ornamenta sunt: ita quædam animi, quædam instituti caussâ agimus. Tibi ante oculos Iustitiæ

Iuſtitiæ dignitas majeſtaſque ſit: hæc, ut ſic dicam, Diva tua; hæc ſtudiorum meta. Quia verò Eloquentia, Hiſtoria, Litteræ homini politico neceſſariæ ſunt, & hic ille eſt, qui Iuſtitiæ arcana adminiſtrat; mediocri eruditione contentus non eris. Amabis veſtem, quæ colore, auro, gemmis ſplendeat: id eſt ſcientiam, quæ philologiæ elegantiis ſe commendat. Plures mehercle ubique Iuriſconſulti ſunt; ſed non omnes docti, culti, & eximii: non omnes, qualis tu eſſe poteris, ſi adhuc non ſubſiſtes: ſi ire malueris, quàm quieſcere. Ergò nec domum, nec larem, nec conjugium adhuc ſuadeam. Studiorum infringes curſum, niſi promoveas. Vernos tranſegiſti annos; æſtas quoq; vitæ occupanda eſt, ut poſt amœnitatem ſudes. Expende, perfice, in rem & uſum quæ didiciſti transfer. Alius alio citius hoc iter finit, nemo

mo abſolvit: ſed præſtat aliis, qui quàm longiſſimè progreditur; qui non annos, ſed labores computat; qui ingenio, non tempori vota committit. Quia etiam ſatis non eſt, doctrinâ excultum pectus habere, niſi prudentia, agendiq; maturitas quædam accedat & dexteritas; peregrinatio inſtituenda eſt: quam ſecundam ſtudiorum palæſtram voco. Hanc cogita, & in ea lauream cogita. Sic perfectus ornatuſque ad Rempublicam venies; nec ſcientiâ tantùm, ſed quæ æquè neceſſaria eſt, auctoritate eminebis. Illud abfuiſſe, alium alieno cælo virum induiſſe, vim neſcio quam habet. Plura, eaque diſtinctiùs dici queant, quæ auribus tuis malo, quàm oculis committere. Redi igitur, & ſic te compone, ut hinc in Galliam, ſed poſt calores, proficiſcaris. Ego te voco, Arx vocat, & ipſa ſtudia. Nuſquam feliciùs æſta-

tem

tem consumas, quàm ubi tam calidè laudari Hiems potuit. Memineris Chimonopægnii mei. Nunc lege versus, quos aliquando audisti; vel scribe potiùs, quos vicissim legam. Vale.

EPISTOLA XXIV.

Bruxellam.

ALOYSIO VERREICKEN,
Audientiario.

EPistolæ officium innocentiæ persolvam, & pro eo loquar viro, quem non sinet ipsa virtus reum esse. De Epigrammate privatim excerpto, publicè affixo intellexi: & vehementer seculi audaciam admiratus sum: inveniri homines, qui ut virulenti sint, ex alienis, quod spargant, floribus venenum colligunt; imò alienum mel in venenum suum commutant. Versus poëtæ nostri, flores sunt; opus mel

merum eſt: totus ipſe pulcher, ſuavis, & ab omni culpæ conſcientia alienus, vir modeſtiſſimâ indole, quietiſſimo animo, ſanctiſſimis moribus: qui ſolam pietatem, pacem, charitatem ſpirat; qui publicis continuiſque Belgas concionibus docet, quid Deo, Principibus, Rectoribus Patriæ debeamus. Eum ego rectæ vitæ exemplum nominare audeo, rarum inter bonos & doctos. Cùm eruditiſſimus facundiſſimuſq; ſit, pluris tamen pietatem, quàm doctrinam facit. Pietatem, inquam, in qua virtutes ſunt omnes. Quid verò tutum erit, ſi alienam audaciam innocentes luent? Ex omnibus exſcindi libris pagellæ ſive ſententiæ poterunt, quæ in calumniam aptatæ, hunc vel illum proſcindant. Et quid hoc aliud eſt, quàm è fabri officina ferrum ſurripere, hominem jugulare, & capitis reum fabrum facere? Hic ſanè facile

cile patrocinium inveniet, & absolvetur: quærendus ille tam nefarius, qui per gradus peccatum auxit, qui ut homicida esset, furtum commisit. Omnino ita est; qui famosis libellis & paginis bonam bonis viris famam eripit, homicida est: qui aliorum ad suum scelus scriptis abutitur, amplius quàm fur est. Quid attinet plura? si fur, si homicida puniendus est, innocens absolvatur; innocenti autem hoc jam officium persolvo. Vale.

EPISTOLA XXV.

Bruxellam.

GVILIELMO ATHENIO

Suo.

DEfæcata nunc, quam exspectas, Cerevisia est, atque itineris patiens. Faxo igitur instructam hac hebdomade cellam habeas. Bina vasa sunt: alterum ejecit

florem, ut fieri ſolet: alterum, ſordes tantùm, ut non ſolet. Hoc enim peculiari nos modo agimus, ut ſubſidente pinguiori materiâ, vires liquor diutiùs ſervet, & alatur velut à fæce. Scire haves? Teſtam, poculi inſtar, ſed aperto & collo & fundo (ejuſmodi ferè vaſcula ſunt, quibus urbani paſſerculi nidos ſuos & pullos credunt) Teſtam, inquam, gutture in os dolii immiſſo, tanquam infundibulum, ſtatuimus, in quam ſe fæces bulliendo attollunt, nec ejiciuntur. Cogitur enim è teſta in dolium redire ſpuma, unde ſurrexerat, & poſito velut fervore, denſatur ac miteſcit, limi inſtar, humore ſupernatante. Teſta demum aufertur, vas clauditur, & Cererem velut Bacchum ſtringit. Non enim Dea hìc Deo cedit, aut in ſexu viliòr natura eſt. Iſidorus ſic quidem Cereviſiam *quaſi Cereris vim* olim definivit: ipſumque adeò Germa-

Germanorum potum Tacitus, *hordei liquorem, in similitudinem vini corruptum.* Sed an corruptum? Quod igni coquitur corrumpi certè non poteſt. Deinde bibitur, ſapit, nutrit: imò, ut ſcias vim vini ineſſe, vincit virum, ac deponit. Obiter hæc indicare volui, mi ATHENI; ut non ingenium tantùm utriuſque cereviſiæ diſtingueres, quam mittemus; ſed & uſum. Ætatem illa meliùs feret, quæ flori ſuo incumbit, & ſubſtrata fomenta habet: altera ante ſenium magis allubeſcet. Fruere utrâque, nos ama, & Vale.

EPISTOLA XXVI.

Mediolanum.

FREDERICO BORROMÆO, S. R. E. *Cardinali, Archiepiſcopo Mediolanenſi.*

BRuxellæ eram, cùm ultimæ mihi litteræ tuæ, meræq; deliciæ, redde-

redderentur. Itaque ſtatim officio functus ſum, ac Lovanium ad Clariſſimum P. BAVHVSIVM ſcripſi. Et quid potuit optimo viro gratius accidere? tanti ſanè divinum judicium tuum facit; ut ad novos animari labores potuerit, argumentum quoque à maximis virtutibus, & à Bibliotheca tua ſumpturus. Tanti deinde affectum ſanè humanum; ut longè ſuavius exiſtimet, amari, quàm laudari: quinimò, laudem amore contineri. Meum quidni ſenſum exprimam? Ignorari ab omnibus malim, quàm à te non diligi: ſi diligi tamen ſic poſſum, & obſcurus eſſe. Etenim amor tuus ignis eſt; non beat tantùm, ſed illuſtrat. Virtus tua amor eſt; non lucet tantùm, ſed accendit. Nemo jam bonus, doctus, magnus eſt, qui non tuus; nemo tuus, qui ſe non felicem arbitretur. Vt tuus etiam ſit, ſcribere ad te Academiæ noſtræ
Rector

Rector voluit: tanquam plures unus repræſentaret. Vnum igitur & ego ſequor, ducem miles, caput membrum, lucem umbra. Excipiet ille Solis radium, & in plures, in me transfundet. Vale.

EPISTOLA XXVII.

Bruxellam.

PETRO ROBERTIO.

Suo.

NVper quidem te vidi, ſed tanquam non viderem: cùm tamen animus eſſet, uberiùs de rebus tuis ſtudiiſque in conſilium ire. Ac ſanè quod ad ſtudia attinet, facili labore, imò non labore (carmen meum nuperum videris) promoveri poſſint. Tantùm tibi perſuade, pulchram ſuavemque eruditionem eſſe; & pervenies. Nam, ut hæc ætas tua eſt, ut ingenium, potes omnia. Aliquid verò quotidie a-

gendum est: sic desiderium crescet, ipsa discendi molestia minuetur. Ab eo jam tempore, quo primùm ad me veneras, plures ecce menses, plurimi dies effluxêre. Vtrosque numera, & cogita, acervum non exiguum construi è tot partibus potuisse. Sed etiam nunc poterit, si te tibi vindicabis. Fac, mi ROBERTE, & ope atque auxilio meo utere. Ver in propinquo est, tempus aptissimum studiis. Animi hiemem si modò superaveris, in libris ipsis flores invenies. Sed nunc quid agis? De Hispanico itinere videbar intelligere: an igitur suscipiendo? Tu optimi parentis tui voluntati obtempera, consilia æstima. Is non tam quæ in præsenti placent, quàm quæ in futurum prosunt, præcipit. Ego sic te hortor, ut Litteras & elegantiam suadeam, virtutem & probitatem imperem. Nam si eruditus non eris, debes tamen bonus esse.

Tu

Tu expendes, quanti momenti ſit, pulchritudini ornamenta adjunxiſſe. Vale, ſcribe, ama me tui amantem. Si nihil adhuc ſtatuere potes, ſaltem excurre, & nos viſe.

EPISTOLA XXVIII.

Bruxellam.

AVBERTO MIRÆO, V. C.

HVmanitate tuâ fretus, commendare hunc adoleſcentem audeo, de meliore mihi notâ notum. Auditor meus eſt, gente alienus, modeſtiâ & candore Belga, complexus animo, quicquid pulchri & alienus & Belga habent. Si pietatem laudem, ultrò adjutum velis: laudo; vitâ & voto Deum ſpirat, imò primis initiari Sacris cupit, & hac de cauſſa ad Illuſtriſſimum Archiepiſcopum Mechlinienſem introduci. Non tantùm ut facias rogo; ſed ut ſtudiosè, & cum affectu. Hærebit ſanè beneficii memoria

moria apud ingenium, & velut ſacer iſte nexus erit, qui duraturam amicitiam ſtringet. Ego me duci, introduci, initiari putabo; & Auditoris mei nomine obſtringar: imò ſtudio, officio, induſtriâ pariabo, quicquid ille accipiet. Sed quid ago? aut quem alloquor? Multis apud ignotos & multos agendum eſt: ſed tamen ut multum, quem commendo, amare videar, ſic pro eodem loquor. Carmen in mortis imaginem adjungo: hac demum cogitatione vivere mihi videor. Tu vive quoque, & Vale.

EPISTOLA XXIX.

Bruxellam.

PAVLO VIRELLIO, V. N.

QVòd benigno me oculo reſpicis, & jam abſentem amas, geminus favor eſt. Oſtendis enim, quem affectum alueris, cùm adeſſes. Litteræ igitur nunc tuæ habent, quod

quod aliàs & coràm ſermo. Litteræ doctæ, ut & elegantias ſuas ſermo ſolet, maturitatemque habere. Doctæ, ſed & ſapientiæ plenæ; cùm oſtendant nullum in rebus his humanis ſine tempeſtate mare eſſe, nullam ſine infortunio fortunam. Omnino ita ſe res habet: Scopulus excipit tempeſtatem, nec cedit; rectus integerque vitæ animus infortunium, nec vincitur. Hoc robur innocentia eſt: hæc innocentia ad felicitatem per obſtantes remoras ducit. Meherclè non ille ego Heroſtratus ſum, qui per infamiam famam quæro. Virtutem ſequor, & quam hæc fundit lucem amplecti amo. Te æternùm, qui meus cùm adeſſes, fuiſti; ut eſſe meus pergeres, cùm non adeſſes. Ecce tanquam te videam etiam, imò quia video, alloquor. Vin' luculentiorem teſſeram? Non rerum tantùm, ſed nugarum te participem facio.

facio. Hæc CONCHA eſt, quam facili Epigrammate exhibeo. Vt amœnus eſſem, ſic luſi; & ut tibi magis placeam, ſic pergam ludere. Vale.

EPISTOLA XXX.

VALERIO EVRISTIO.

MEntem illam tuam, ac vitæ modum quoties conſidero, veram intelligere virtutem videor; in pleriſque nunc viventium ferè intermortuam. Rari quippe inter homines homines ſunt, aut hoc agunt quod natura, ratio, religio ſuadet. Vbi priſca illa ſimplicitas, æquitas, pietas? Vt paſſim ægrotatur, plures animi quàm corporis morbi ſunt: & nemo tamen, ſi commodè corpore utatur, ſe non ſanum putat. Iam ſi negotia ſpectes, non unus tanquàm uni ſibi natus, agit omnia: non Rempublicam, non poſteritatem cogitat. Si dicere

dicere licet: oculos ad aliena circumfert, ad sua cæcus est. Sic quidem paucos aut virtus aut sapientia sectatores habet: cujus utriusq; ignota pulchritudo est. Sed quemadmodum bonum rectumq; esse, laudabile est: ita alios facere, divinum puto. Bonus autem tum maximè bonus est, cùm nullius malitiam tolerat; cùm dirigere atque emendare conatur, quæ curva corruptaque sunt, & publicè privatimque ab aliis peccantur. Tua omnis occupatio est, bene mereri de omnibus,

Hostem esse atque inimicum hominum morumque malorum,
Contrà, defensorem hominum morumque bonorum.

Hæc ad cælum via est, hæc in terris quædam, ut sic appellem, divinitas. Interim quam curam bonarum Litterarum, Artiumque geras, in Belgio Italia, in Italia Belgium

loqui-

loquitur. Nemo jam generosa molimina tua nescit. Thesauros impendis, ut viros Respublica accipiat. Impendis, inquam, non relinquis: nec expectas fati necessitatem, sed prævertis. Hoc pulchrum censeo: dare divitias, cùm frui possis: non testamento, sed munificentiâ hereditatem facere, multorumque necessitates tempestivè sublevare. Qui mortem expectant, ut liberales sint, non videntur de suo esse. Soli Principes agunt, quod tu agis: heredum officium ipse usurpas. Ignorare poteras, quid post mortem futurum esset, si tam bona consilia mandare aliis malles, quàm ipse exsequi. Nostrum est, quod vivi transferimus, quod de manu promitur, quod deesse nobis patimur, ut publicis usibus serviat. Collegium igitur non scribis, sed facis, tuasque maximè putas opes, quibus tot adolescentes vivant, te

vivo,

vivo, & erudiantur: qui profectò mori te non ſinent. Bene eſt, inter hos & Belgæ erunt. Erunt, qui honeſtâ indole, ingenio, induſtriâ eminebunt. Tales hi omnino, qui jam mittuntur; vel ideo mihi cari, quia dignos ſe affectu & liberalitate tuâ oſtendunt. Ad Cardinalem verò BORROMÆVM ſic ſcripſi, ut nihil omiſiſſe videar. Commendavi pueros, & hac occaſione nobiliſſimum inſtitutum. Sed puerorum & ſimul inſtituti cauſsâ, Cardinalem ſcripturum, nequaquam dubito. Certè Litteras non petii tantùm, ſed flagitavi. Quod reliquum eſt, quemadmodum tuæ partes ſunt, Litteris atque Reipublicæ benefacere: ita noſtræ erunt, tam inſignia beneficia deſcribere ac celebrare. Pro Amico illo noſtro gratias immenſas ſcribo. Quantum benefeceris, ipſe mihi Ampliſſimus Præſes MASIVS indicavit. Nos hìc jam in

Encæniis, & læti sumus: sed te usque & usque cupimus, & sic valere.

EPISTOLA XXXI.

Mechliniam.

GVILIELMO MERODIO, V.N. *Consuli Mechliniensi.*

HVmanitate tuâ opus, ut nihil deliquisse videar. Venisti in Arcem nuper, & frustra; Bruxellam ego iveram. Misisti Litteras, iterumque frustra; priusquam enim illæ adferrentur, Venlonam, partim animi, partim negotii caussâ, cum familia profectus sum; ut in sinu Patriæ per has ferias velut respirarem; imò ut negotia, quæ publicè privatimque agenda adhuc erant, ad finem perducerem. Omnia hæc jam minus jucunda; quia frui te non licuit, non complecti: te quem juvenis juvenem olim sic dilexi, ut æstimarem semper & colerem. Natalium

talium tuorum ſplendor id poſcebat, tum animi ingeniique elegantia & maturitas, demum Conſularis hæc jam dignitas; quæ quemadmodum te ornat, ita à te ornatur quoque. Pulchrum hoc igitur: Amicum habeo, quem nobiliſſima civitas Rectorem. Sic te interprete & fautore placere Civitati incipiam; cui aliquod etiam ingenii mei monumentum deſtinavi. Tot volumina operum meorum molior, quot in provincias Belgæ diviſi ſunt. Omnium cultor, dare omnibus conſtitui quod jam Brabantis, quod Geldris, quod Lucemburgenſibus perſolvi. Hæc pietas mea eſt: unius provinciæ finibus concludi nequit. Itaque in unâ natus, in omnibus civis eſſe videor: reddam omnibus, quod ab unâ accepi. Arcem quam incolam, noſti: ejus atrium majus claudere feneſtris vitreis conſtitui: id quia libe-

ralitate Urbium Brabantiæ fiet, rogo, ut te Consule Mechliniensium hîc quoque nomen legatur. Ita peculiariter & me, & locum hunc amari intelligam. Vale.

EPISTOLA XXXII.

Lugdunum Bat.

DANIELI HEINSIO, V. C.

BEnignus es, Clarissime Vir, in meis censendis; effusius potiùs in laudandis. At ego mihi audax videor, qui apinas istas mitto, & in Solem fero facem; quasi aut non intelligam ingenii tui lumen, aut negligam. Sed tantum permittit humanitas tua, quantum excellit eruditio: & qui optima scribis, libenter excusas mala; qui grandia exsequeris, non fastidis parva. Cogita rivulos duntaxat esse, qui hinc manant; te verò mare. Circumerrant isti, nec quiescunt unquam, nisi in magnum istud aquarum gremium

mium ſe effundant. Iterum, mare es, & hanc tibi Concham vindicare poteras, quam adjungo. Tu ſi ſtilum ſumas, lapidem in gemmam facilè commutes. De Hymno igitur tuo idem dixero: hoc auro oſtendis, ferrum eſſe quicquid alii cuderunt. Admiror penitus ſcriptum, & ſic capior, ut è manibus non deponam. Belgæ autem niſi te agnoſcant Apollinem ſuum, nec linguam, nec Poëſin intelligunt. Mihi Poëmata hæc omnia videntur admiranda eſſe; in admirandis Hymnum illum eminere. Sicuti illuſtriſſimum argumentum eſt, ita præſtitit Muſa ſua, quod nemo hactenus aſſecutus. Etenim ut capax ingenii tui lingua quoque Belgica fieret, effeciſti. Cogita, & è cælo nos alloquere, qui cæleſtem in terra vocem hactenus admiramur. BERNARDI BAVHVSII epigrammata, niſi videris, hic habes: ut mea

timidè, ita liberè hæc offero, in quibus nihil fortè erit, quod censeas; erit quod laudes: voles autem benignus iterum, & effusus esse.

EPISTOLA XXXIII.

I. CASPERIO GEVARTIO

Suo.

PApæ! ſic Papinium à te, mi GEVARTI, illuſtrari! Faces eruditionis, iſti COMMENTARII ſunt, φῶς ἀγαθόν. Vt omnia dicam, tibi vindicaſti hunc Vatem: vivet ille tuo beneficio; quippe ſine morbo, vulnere, cicatrice: tu illius, qui deleri nomen tuum non patietur. Quamdiu Litteræ erunt, hæc opera celebrabitur; ſed in dubium illa ætas tua veniet. A tam juvene tam docta & exaſciata proficiſci potuiſſe nemo credet. Sed quid anni faciunt? judicio & eruditione Senior es, ingenio & induſtriâ juvenis: incipis, ubi alii deſinunt. Elogio libens

bens votum addo, ut longùm tam beato viridique perfruaris senio,

Pulchrior & merita faveat Deus ipse juventa.

Nos te, quia STATIVS esse Surculus desiit, tanquam STATII Surculum habebimus. Itaque cresce, qui jam grandævus es; progredere, qui SILVARVM hoc iter egregiè emensus. Sic plenum licebit laborum fructum ferre: licebit Poëtę tui verbis,

---- *ire polo, nitidosq; errare per axes.*

Ad Elogium quod attinet, à Papinio adumbratum, non tam displicebat conjectura tua, quàm placebat posterior Turnebi interpretatio, lib. v. Adversariorum, cap. III. Alterno enim versu eam claudicare, manifestum est: & alternum facere pedem, sive constituere, Latinè dicimus. Vnde quia alternus pes, sive versus, Elegiæ est, & ad inæquales refertur numeros; tam *facere* retineri possit, quàm *frangere* substitui;

 cùm

cùm propriè *facere* ad alternum, *frangere* ad pedem ſpectet. Sed in carmine, ſive frangas pedem, ſive alternum facias; tamen claudicabit, quia inæqualis erit. Aliud in homine: niſi enim alter altero pes brevior ſit, ac vacillet, nullam χωλότητα invenies. Alioqui τὸ βάδισμα ſcimus fieri κατὰ διάστασιν τοῖν ποδοῖν, ſive μετάθεσιν: quod Polluci exponitur adverbialiter παρεμβάδην. At Deorum inceſſum, ab illo humano diverſum, Homerus innuit, & Heliodorus in Æthiopicis explicat, lib. III. Sed quid meâ cauſâ vos nuper ſoliciti? Amo tuum, bonorumq; affectum, mi GEVARTI, ſed illum Illuſtriſſimi Legati, ſic in me proni, veneror. O Heroëm! non hominem, in quo virtutum omnium exemplum, rerum compendium habes! Huic placere quanti putem! ſic felix es, & jam ipſe mihi videor. Verùm improbiſſimæ famigerationi iraſci meritò

meritò possem, si novum esset, aut sycophantas inveniri, aut innocentiam traduci. Hem, sic vita humana agitur, semperque fuêre mali, qui inculpatæ bonorum famæ insidias struerent, aut palàm infesti essent. Deinde credunt alii, quod constanti mendacio confirmatur. En exemplum. Hodie in hac ipsa urbe de morte meâ sparsus est rumor, quia me ægroto, nescio cujus funus publico æris sono vespillo indicârat. Ergò putent aliqui, non vivere Lovanii hominem, qui in Arce, Lare secreto, beatus est, nec ulli molestus. Sed levi aurâ ejusmodi sermones vehuntur, & cum vento abeunt. Nam mendacia, vana sunt; conflantur citò, citius evanescunt: absit verò, ut mendaciis movear. VALERIVS noster post nuperam tempestatem jam felicius navigat. Turbines aliqui ex obliquo flabant, ac satis infesti. Forrassis

ipse scripserit. Tu vale, & magis magisque dignum te Heroë tuo ostende. Non omitto Amplissimum DYCKIVM, virum ab aureo avo: non Clarissimum RVTGERSIVM familiarem meum: non Musarum præclara lumina, GROTIVM, HEINSIVM, SCRIVERIVM, alios. Quid ibi agatur, scribe quæso, & me ama.

EPISTOLA XXXIV.

Bruxellam.

PETRO ROSÆ,

Consiliario Regio,

Consilii jam Sanctioris Præsidi.

FACIET candor, ut quem dignitati tuæ cultum debeo, distulisse hactenus, non neglexisse videar. Tanquàm haud satis esset, scribere, loqui volui, & vivente velut affectu, gratulationem deferre. Sed quia sermonis copiam nescio

quæ

quæ mihi fortuna ſemel iterumq; nuper invidit, ad conſueta redeo officii inſtrumenta, calamumque occupo. Hic quoque ſermo eſt: ſignatur, non funditur; & ut fidem majorem faciat, durat. Scribo igitur: & quid? adhuc loqui me velle: imò quid? hunc meum mancipio addictum tibi animum eſſe. Tibi, ſic aucto; ut addas potiùs muneri honorem, quàm à munere accipias. Si virtutem inſpicio, nomine duntaxat ornatus es: eras Senator, cùm non eſſes, olim velut indutus Curię togâ, quia dignus. Princeps autem, non minùs intellexiſſe divinas animi ingeniique tui dotes videtur, quam evexiſſe. Vt omnium eſſes, ſuum eſſe te peculiari etiam titulo voluit, & ardua Fiſci onera ſuſtinere. Nihil verò Prudentiæ tuæ grave. Integritate & æquitate ſubnixus, non lubrica times, aut errori obnoxia veſtigia: non ad auræ blandientis

dientis te illecebras flectis. Recta, & interrupta patrocinia tuà privatim omnes aut experti, aut confessi sunt: & recta nunc judicia tua publicè laudant. Laudârunt anteà privatim humanitatem: nunc temperatum lenitate rigorem publicè experiuntur. Solertia, facundia, dexteritas utrobique locum habent; sed nunc magis in conspicuo, quia auctoritas accedit. O factum bene! vidi labores, nunc fructus video. Vt isti fuerunt, ut hi sunt, integerrimam omnibus commendas vitam, & nomen extollis. An dico? ostendis, etiam sine spinis ROSAM esse. Perge igitur, & quid? crescere, an florere? Summis par es, & ad hæc pervenies: optandis maturus, & te jam ubertate suâ felicitas honorum sequitur. Itaque & cresce, qui magnus es; & flore, qui ornatus; meq; ut magis ac magis ames, magis magisque vale.

EPI-

EPISTOLA XXXV.

Veronam.

ANDREÆ CHIOCCO,
Medico, V. C.

ITaliam quanti faciam, Clarissime CHIOCCE, publicè stilo, privatim sermone testari non desino. Solennes & quotidianæ meæ voces sunt: in hoc Orbis compendio ingeniorum miracula, & exempla doctrinæ atque eruditionis perseverare. Alibi umbras hominum, hîc homines esse, & sapere: alibi corpore, hîc animo vitam institui atque æstimari: alibi terram, hîc cælum esse, Sole suo, & sideribus illustre. Solem nunc BORROMÆVM dico; sidera, per universum ac beatum illud solum sparsa virorum lumina, quibus temporum & ignorantiæ tenebræ pelluntur. Tu mihi, CHIOCCE, tu SACCE, tu SEPTALI,

LI, vos cæteri, ignem & lucem habetis; vos antiquam sustinetis gentis gloriam, virtute & doctrinâ. O solida æternitatis fulcra! ô vera simul elogia, cum rebus hominibusque victura. Quid opus est verbis? Florent alibi Litteræ, sed vestræ sunt: originem vobis debent. Si vistis quasdam artium ac scientiarum velut colonias in frigidum duci Orbem, fluere eloquentiæ rivos, sed è vestro fonte. Sic etiam longinquas ornatis provincias, quas aliquando debellârunt Majores vestri: colitis, quas non violentiâ, sed ingenio & beneficio vobis vindicatis. Ecce, ego, quia Litteras sequor, Italiæ me obstrictum fateor. Sic in eâ vixi, ut nunc etiam, postquam inde transtuli sedem, abesse non videar. Colo viros, à quibus amatus sum; fero, à quibus læsus. Beneficia insculpsi animo; injuriarum oblivisci potui. Crescat affe-

ctus,

ctus, si me penitus noscant boni; minuatur acerbitas, si me non ignorent mali. Silentium igitur meum excusabunt boni, laudabunt mali. Amoris fiduciâ inhumanus esse ausus fui, ne scriberem; simultatis odio, humanitatem professus, ne scribendo offenderem. Sed, ut ne omnibus modis me excusem: obrutus negotiis, & velut involutus, differre cœpi, quod otiosè non facerem; & sic paullatim negligere, quod distuleram. Adde, scriptas ad me litteras, quas non accepi: à me exactas, quas non debebam. Vt itinera sunt, imò ut homines, fieri potuit. Sic aliorum negligentiæ, aliorum obnoxii imperio, obligamur inscii, urgemur liberi; & qui silent ipsi, aut tanquam non scribant scribunt, quædam velut tributa litterarum exigunt. Atque ego si privatim silui, publicè respondi & locutus sum: scripta & libri mei, quia

quia omnibus misi, velut epistolæ fuêre; imò verò epistolæ partem librorum faciunt, in plures jam centurias distributæ. Sed hæc mitto: te amo, mi CHIOCCE; qui lepidissimis litteris silentium meum castigas, & tamen excusas: severus, ut benignior appareas. Scribis enim, cùm scripseris: & sic ostendis, quid præstare debeam, non exigis. Invitas silentem, non repudias; ampliusq; benevolentiæ, quàm imperio indulges. Quid tandem? Veri hæc amoris tessera est, quæ te verè doctum, & sic humanum ostendit. Talem igitur jam noscerem, ni novissem antè: talem à me coli ut sciant omnes, privatim litteris, publicè libris testari pergam. Sic me Italia, terrarum regina, elegantiarum mater, omnisque prudentiæ regula, & anima, dignum Musarum contubernio censeat, dignum amore tuo, in quo omnes Musæ vivunt. Vale.

EPI-

EPISTOLA XXXVI.

Insulas.

OLIVERIO FLORENTIO WATERLOOPIO, V. C.

QVis hic in me affectus? Vir Optime: penetrat, & ardenti fomite viscera mea accendit. Sentio, sentio: hæc Virtutis & Doctrinæ tela sunt, Humanitate vulnerant. Sic amas PVTEANVM, ut muneribus oneres. Quid enim? Meus jam non sum, tuus sum. Ac certè nolim meus esse, si tuus esse desinam. Obstringi, & felicem esse, rarum est: mihi utrumque contigit. A te amari, Virtutis & Doctrinæ fructus est. Itaque munera æstimo, animum tuum loquuntur: tu hæc jam verba, meum tibi mancipant. Verba, sed sancta, sed ex ipso animo profecta. Verba, quibus munera vicissim spondeo, & pignora mentis, semper tibi adhæsuræ. Sequar

G libera-

liberalitatis tuæ veſtigia; & ſic tamen vincar: prævenisse, gloriæ pretium eſt. Sed vinci cur grave ſit? ſic magis tuus ero. Imò cur grave? PHOENICEM mittis: & me raritas hæc vel nominis delectat. Es quod mittis: te Phœnicem meum, mi FLORENTI, appello. De Morte quæ ſcripſi, tuo nunc ingenio vivunt; tuo verſu intelliguntur. Corpus aliquod carminis conſtruxeram: tu animam indidiſti. Hæc jam non munera; miracula ſunt, & ſic omnia dixi. LVCAM TORRIVM amo, qui & Phœnicis, & miraculorum gerulus fuit: amo juvenem inter paucos; laude dignum, quia tuam deprædicat. Vale.

EPI-

EPISTOLA XXXVII.

Bruxellam.

GVILIELMO STEENHVYSIO,

Consilii Sanctioris Senatori.

NVperrimè VIRGINIS ad te MATRIS laudes misi. An alieno tempore? Puritas non toto satis anno dicitur, imò non toto satis legitur. Pura fuit Virgo, cùm nasceretur, cùm pareret, cùm reliqua subiret Mysteria, quæ colimus. Semel nata est, semper Pura fuit; semel peperit, etiam post partum pura fuit; semel reliqua subivit Mysteria, in omnibus pura fuit. Si liber igitur pietati tuæ placuit; quidni & Auctor? Sed nunc quod agendum est ago, & Clarissimum hunc virum, Amicum meum, humanitati tuæ peculiari affectu commendo. Favore dignus est, & munere quod petit. Summum Iuris utriusque

honorem nuper adeptus, ostendit non minùs se Curiæ, quàm Scholę; non minùs Patriæ, quàm Academię parem esse. Præterea collegit fori pulverem, & in actione versatus est, ut nullum Astrææ mysterium ignoraret. Scientiam verò peritiamque magis etiam placidissimi atque integerrimi mores commendant. Hoc pulchrum, doctum esse, & simul bonum: imò hæc jam altera, & tamen præcipua laus est, bonum commendo. Ostendes igitur, Vir Amplissime, non modò quantum Doctrinæ, sed quantum virtuti tribuas: an & addo? quantum PVTEANO, qui hoc officium doctrinæ debet, virtuti persolvit. Meum fuit, Virum Consiliarii munere dignum, producere & laudare: sed ipse, quemadmodum natus est, produci ac commendari ab ipsa Patria videtur; ut educatus & instructus, ab omnibus. Accipiat igi-
tur,

tur, quem meretur honorem, imò quem petit; amplius debiturus humanitati tuæ, quia petit. Ego, tanquam meum geratur negotium, pari me nexu obstrictum fatebor; relaturus gratiam, quam ille debebit; debiturus, quam ille referet. Vale.

ÆPISTOLA XXXVIII.

Mediolanum.

FRANCISCO MELZIO, *Comiti Mazentæ.*

VBi responsum? inquies. Dilatum, ut tempestivum esset; vel potiùs intempestivum, quia dilatum. Sed si rectè humanitatem tuam novi, facilis peccanti venia, facilior etiam deprecanti erit. Ereptum è vivis egregiæ virtutis & famæ equitem MELZIVM patruum tuum, tenerrimè dolui. O duram mortalitatis legem! sed legem.

Optimum eſt, ferre, quicquid à Deo impoſitum eſt: ideo enim in viventium numerum deducti omnes ſumus, ut aliquandò abducamur. Rectè mori, hoc verè eſt beatiùs vivere: & rectè moritur, qui vitam ſic inſtituit, ut quotieſcumque neceſſitas juſſerit, paratus ſit relinquere. Sed patruus tuus rectè, & à militia ad pacem, à laboribus, ſic vovemus, ad triumphum tranſlatus eſt. Epitaphium placet: plenum eſt ac facile; Latinum, ac prope Romanum. Dubitabam autem, an in fine τῷ VIVUS decorè adderetur. Non enim ſibi, ſed fratri monumentum ALOYSIUS pater tuus ponit. Vivat ille verò, & tu vive, imò Vale.

EPISTOLA XXXIX.

Monacum.

MATTHÆO RADERO,

Soc. IESV.

NOn minorem pietatem tuam morumque ſanctimoniam, quàm induſtriam ac doctrinam eſſe, eadem fama loquitur; illa candidis circumvecta alis, &, ut cum Poëta dicam, *nuncia veri*. An certius indicium? Affectum meum in Beatiſſimam VIRGINEM æſtimaſti nuper; imò operi nudo corymbos, faſceolas, periſtromata addidiſti, manum SADELERII verſibus tuis ingenioſam reddens. Quid igitur? Laudare Attico ego conatu Puritatem potui: tu efficere, ut Oratio piis, & addo, impiis placeret. Placuiſſe Virgini, nullus dubito: tu magnus Virginis cultor & Myſta, non indignam cenſuiſti, cui ope-

ram impenderes. Duraturæ hanc igitur amicitię tesseram habeamus: Orationem, inquam, non minùs tuam, quàm meam. Tuam, ut agnoscam laudes, quas libellus, jam operâ tuâ elegans, invenit: meam, ut placere pergam Virgini, quam laudare conatus sum. Pius fui, tu addidisti cultum, ut facundus viderer: facundus esse studui, addidisti ornatum, ut pietas reluceret. Tibi reddo quicquid accepi, imò te interprete, reddo Virgini encomium, à me quidem profectum, à te perfectum. Quia annuâ mox iterum memoriâ Virgo purificabitur, eandem offeremus Orationem Virgini; ut quæ semel dicta est, dici semper videatur. Vale.

EPI-

EPISTOLA XL.

Mediolanum.

LVDOVICO SEPTALIO, V. C.

SIlentium meum si cum tuo componam, alterum delictum, alterum supplicium videatur. Tam enim acerbum mihi fuit, nullas à te accipere hactenus Litteras, quàm proclive, nullas ad te mittere. Mittere autem debui, ut acciperem; provocare qui majorem in modum obstrictus eram. Hem! Amorem irasci posse, meâ imprudentiâ didici: placari posse, tuâ nunc humanitate ostendes. Vt candorem igitur profitear, ultrò scribo, & è nocte diuturni silentii surgo, ut novum diem merear. Hunc tu facies, ô Sol meus, qui clarissimâ Doctrinæ & Virtutis famâ Italiam hodie illustras. Facies, & veteri amico novos amoris radios indulgebis, ut nunc etiam frui Italiâ, frui luce videar. Quid-

Quidni? ſplenduiſti ſemper, amaſti ſemper: mea culpa, ſi hoc jubar, hunc ignem non excepi. Agnoſco aëris vitium, cælum veneror: in me derivo, quicquid peccatum eſt; ut majori etiam affectu deleam, quod derivo; delictum, & ſimul ſupplicium auferam. Ecce ut ames ſcribo, ut ſcribas amo: mitto Litteras, ut viciſſim accipiam. Vale.

EPISTOLA XLI.

Bruxellam.

CAROLO LONGEVALLIO,

Comiti BUCQUOYO.

DEeſſe jam officio meo videar, ſi promiſſum traham. Neque res parva eſt, cùm de filii inſtitutione agitur: quæ & reliquam vitam, & rerum agendarum vota continet. Audebo igitur, quid ſentiam, breviter & privatim exponere; tuo ſubjicere judicio quæ expono.

pono. Nemo enim de filio melius, quàm pater statuit: sed tu quid sit patrem esse, unus omnium optimè intelligis. Quare non tam sententiam meam promam, quàm tuam confirmabo: quæ est, compendium per tot ambages, per tot salebras quærere; floridisque adhuc annis, ad studiorum maturitatem pervenire. In puero verò partim Animum, partim Ingenium specto. Ille virtutibus, hoc artibus & elegantiis imbuendum. Virtutes fundamentum pietatem ac Religionem habent, quæ deinceps pro indole ac fortuna cujusque assumuntur. Aliis enim satis est, liberalitatis pulchritudine amabiles esse; alios magnificentiæ heroïca quædam majestas decet: quasi dicam, & in Virtutibus vulgus esse, aliquas contrà eminere. Omnes verò discet puer ingenuus, & illustri loco natus, ut peculiares quasdam præcipuè exerceat.

Sine

Sine cibo nemo vivit, ſine virtute nemo magnus eſt: ſed Regum tamen Principumque menſæ deliciis non plebeis inſtrui ſolent. Ornentur omnium animi, ut boni ſint; hi grandiores, etiam ſplendeant. Ab Animo tamen ad Ingenium quoq; veniendum eſt. Ingenium, ut dixi, artibus & elegantiis colitur. Artibus, quas liberales appellamus: elegantiis, quæ linguarum (ut mores regionis hujus & ævi ſunt) varietate conſtant. In linguis aliæ mutæ, & quaſi mortuæ, Latina & Græca: aliæ peregrinæ, Gallica, Italica, Hiſpanica, Germanica: aliæ vernaculæ, quæ partim à Gallica, partim à Germanica nobis dependent. Sed noſtræ, neſcio quo vitio, viles ſunt: uſum pretiumque, mutæ & peregrinæ habent. Sic quod alii cum lacte materno ſermonis beneficium hauriunt, nobis labore quæritur: & ne Belgæ ſimus, omnium

gen-

gentium ore loquimur. Linguis igitur discendis occupati, rerum umbris fatigamus indolem, sæpe non facundiam, sed garrulitatem adoptamus. Aptè loqui paucis omnino concessum est; quia satis videtur, loqui. Apti videmur linguis, quia his plerumque conatum omnem industriamque terminamus: linguarum animas artes sobriè inspicimus. Vnde remedium? à bona Institutione. Rerum instrumentum sermo est: hic parandus, priusquam res aggrediamur. Parandus usu, etiam Latinus; quæ brevissima discendi via est. Sed Magister necessarius est, tum comites & ministri, qui colloquantur. Cæterùm quæ omnium, etiam unius linguæ conditio est; nisi unam illam extra humanæ societatis fines ejiciamus. Cogita, omnem linguam unam esse, quæ vernacula non est: Latinam esse, quam domi non didicimus.

Vsus

Vsus sanè, quæ non est, vernaculam faciet. Nulla nobiscum nascitur, quævis, ut sic dicam, adoptari potest. Romani ipsi non aliâ ratione Latini erant; prompti, priusquam nutricem reliquissent. Tot Scholarum ambages inter crepundia latebant; tot præcepta consuetudo vincebat. Hodie tota pueritia & adolescentia occupatur, & imperfecta adhuc Latinitas est. Viri, exantlatis scholarum laboribus, balbutiunt; & qui scientias tractant rudi, audent linguâ contenti esse. Ego aliquando de Collegio cogitavi, sed Nobilium; in quo pueri decennes Ingenium Animumque colerent: ante omnia linguam Latinam usu discerent: hinc artes; sed quibus nobilitas potissimùm exornaretur. Vsum tamen nolim prorsus nudum esse; verùm subsidio brevissimorum præceptorum juvari ac stabiliri. Etenim si

biennio

biennio absolvantur, quæ detinere sexennium, sæpe decennium solent; magno sanè compendio ad maturitatem ingenia enitantur. Puer quisque, vel bini aut plures, suo & rectore & famulo, Latino utroque uterentur. Numerus universus vicenos non excederet; etiam paucioribus plenus esset. Magister quoque adhibendus, qui Lectiunculas institueret, brevissima illa præcepta, & Latini sermonis ornamenta usui aptaret. Adjungerem ipse manum & operam, Mathesin, & præsertim illam militarem traderem, quæ de munitionibus, aciebus, stratagematis est. Mox Moralis & Politicæ scientiæ compendium, Historiæque, prout temporis & ingeniorum ratio pateretur. Magis inclinabam in has cogitationes, quia Arx hæc ipsa, quam incolo, præbere locum visa est, tam nobili instituto maximè

idonea.

idonea. Sed nónne in eadem educari atque institui Principum nostrorum filii olim solent? CAROLVS ipse V. hic præceptorem HADRIANVM habuit, hic è Sacra Regum historia animos hausit, qui, si fata permisissent, terrarum Orbi sufficerent. Sed, de tota hac re loqui malo, quàm plura scribere; paratus, uni filio tuo impendere, quicquid multis utile esse arbitratus sum. Vale.

EPISTOLA XLII.

Bruxellam.

ASCANIO IESVALDO,

Archiepiscopo Barriensi,
Nuncio Apostolico.

BOnus me affectus rapit, ut postquam familiaris esse cœpi, liberior sim, & rumorem benignus interpres leniam, qui nuperam eximii ecclesiastæ, & Amici mei con-

cionem

cionem ſiniſtrè, aut imtempeſtivè ad tribunal tuum trahit. Fuiſſe in ea, quod reprehendi poſſit, miror; quod accuſari, bis miror. Aut me pietas fallit, aut Deum ipſum Virginemque Dei Matrem dixerim viri hujus ore loqui. Qui ſe læſos putant, quacumque laudari occaſione ſolent: Encomiaſten habent, quem oppugnant. Ego auditor, ego teſtis ſum, & pacis affectu candoris hoc ſuffragium depromo, Cauſſæ debitum, ſed & Perſonæ. Quod ad Cauſſam attinet, quo fructu bonorum doctorumque virorum animi collidantur? Natum è ſiniſtrâ opinione vulnus ſine cicatrice deleatur. Non de unâ hac concione, de omnibus agitur; & corruunt omnes, ſi hæc una notam, aut cenſuram incurrat. Qua auctoritate deinceps alloquatur populum, qui reprehendit vitia, ſi reprehendi debeat, qui populo peccaſſe non eſt

 viſus?

visus? Malè profectò navis regitur, cùm navarchi rixantur. Cùm controversia nascitur, sopiri debet: quid proximum? nesciri debet. Librentur pauca verba, ut publicè accepta sunt; examinentur, ut audita sunt. Fortassis qui crimen clamant, alienis auribus crediderunt. Non ubicumque calor, ignis est: citra incendium flammulæ sunt; ne dicere quidem sine calore quisquam potest. Laudavit Virginem, pius Orator, laudavit affectum piè de Virgine sentientium, egit, quæ die illo solenni agenda sunt: quærere, eruere, designare quod culpes, hoc verò est, rem imagine, corpus umbrâ augere. Sed Personam nunc magis ipsam respicio: in quâ videtur bonitas ipsa, pietas, doctrina, facundia carpi; publicus etiam morum fructus retardari. Vitiis irasci solet, neminem offendere, amare bonos, observare doctos,

omnes

omnes Religiosorum cœtus colere ac venerari. Quemadmodum verò animum virtute subactum habet, ita ingenium amœnitate excultum. Testes Epigrammatum selectorum libelli sunt, nuper editi, & magno ubique plausu excepti. Italia ipsa, felix Italia, quæ carminis sibi majestatem jure vindicat, hunc fatetur poëtam ad Antiquos assurgere. Ecce & laudo virum, pro quo scribo, & tuum dico, ut plenè laudem. Societas ipsa, cui nomen dedit, nónne tua est? ideo docta, ut publicè loquatur; ideo pia, ut omnes faciat. Vale.

EPISTOLA XLIII.

Mediolanum.

RAPHAELI MONTORFANO *Suo.*

IMaginem D. CAROLI accepi. Quid dicam? moras suas etiam

Mercurius habet: quidni verò ipsi mercatores? Sed imaginem accepi, & quod caput est, sartam tectam. BORROMÆO igitur, tam benignè mittenti, Gratias nunc scribo, & quidem carmine. Tanquam religiosiùs testari gaudium voluerim, cecini; & pius tamen potiùs, quàm ornatus fui. Non in omni colle aut monte Parnassum esse experior: in sublimi habito, Musas colo; nec tamen Poëta sum. Aliis relinquo hoc nomen: mihi satis, animi aut officii interdum caussâ, versum pedibus instruere, sensúmque teneriorem sub metri vincula mittere; ut reversus ad libertatem suam stilus, alacrior sit, nullum velut argumentum reformidans. Hic verò jam impetus, cogi ad legem poterat: sed quorsum? sic epistolæ similior, quæ fundi magis debet, quàm scribi. Si intellexero tamen, furorem meum prorsùs insanum non fuisse,

propiùs

propius ad Apollinem accedam. Vale.

EPISTOLA XLIV.

Bruxellam.

IOANNI STRIGELIO,

Tablini Cursorum Præfecto.

DE febricula intellexi, & dolui: Sed nonne jam meliusculè? ita spero. Lætiores quidem dies sunt: qui utinam te quoque habeant! Lætiorem, inquam, animo, corpore validum ac robustum. Cogita verò hoc humanum esse, nunc valere, nunc ægrotare. Mutationi corpus istud nostrum obnoxium est, ac sæpe faciem cæli ac fæcem sequitur. Quantum ætatis, etiam tempestatis est: unus annus, omnes anni, temporibus suis distinctus, & sic varius. Nec ipsa hæc virilis fugiensq; in senium portio solido robore aut duraturo constat. Quem-

admodum nunc ventus ſpirat, nunc imber cadit, nunc aura luget: ita non uno morbo firmitas corporis dejicitur, ſerenitas violatur. Sed quis cum vento litiget? quis imbrem objurget? quis auræ ſuccenſeat? Ferre, quæ à natura ſunt, decet. Non iraſci morbo, ſed mederi, quantum licet; in ipſo, & poſt ipſum, animum ſibi vindicare. Qui neceſſitatem cogitat, ferre ægritudinem poteſt: & jam rectiùs valet, qui ſortem non accuſat. Chriſtiani ſumus: robur nobis Dogmata Religionis præſcribunt, PATI. Sed & hæc ad ſanitatem, imò ad felicitatem via eſt: quam inſiſtere, meum quoque eſt decretum. Tu ſi vales, fruſtra ſcripſiſſe iſta videor: ſcripſi verò ut valeres.

EPI-

EPISTOLA XLV.

Anconam in Scaniis.

BERTILO CANVTO AQVILONIO, V. C.

QVis iste ab Aquilone, imò ab AQVILONIO ardor? Solis & Amoris misces radios, doctissimáq; scriptione uberrimum affectum explicas. Hæc humanitatis miracula sunt. Descendit defæcata flammæ indoles, tuque cælo tuo non contentus, in terrâ reperis quem ames. Vidi quæ misisti, & vin' breviter? admiratus sum. Nam per Deum immortalem, quæ ista tam accurata copia? tam venusta Musa? tam erudita stili felicitas? ab Apolline est: ac certè tam propitio numine hi tibi numeri fluunt, non morituri, nisi priùs numinis illius nomen desinat. Tu mi CANVTE, Apollo es, æternus es, & famâ polum occupas, Septentrionem illustras. Sic te jam

video, quem non video: sed suspiro, quia longinquum. Iungi, quamdiu vivam, non me aliâ parte fortassè fata sinent, quàm quâ non moriar. Animus est, qui transferri è Belgis in Scanios poterit; & animi interpretes Litteræ erunt. His loquemur invicem, his audiemus, his uterque utrumque videbimus & complectemur. Etiam solâ cogitatione ad maturitatem fructus Amicitię veniet, cùm CANVTVM ego meum intelligam magis, quàm cernam: cùm sciri ipse potero, nec adspici. Fragile est, & mox periturum, quod in oculos incurrit; immortale, quod mente comprehenditur. Tuis verbis & scito hæc verba mea stabilio: NON EST MORTALE QVOD OPTAS. Cave igitur à corpore me censeas: domicilium duntaxat mei est, auræ, morbo, morti obnoxium; fragile, imò, si rectè calculum ponas, nil nisi aura Et demus firmum

etiam

etiam robustumque esse: hanc felicitatem necessitas temporis paullatim carpit, ut destruat. Animum igitur, animum, illum corporis inquilinum specta: qui nec solo corpore habitat. Mundo terminatur, & hoc primum maximumque domicilium est. Paullatim ad angustias itur: provinciâ hâc unâ claudor, hâc urbe cingor, hâc arce munior; in his omnibus corpus tandem velut carcer est: quem miseri circumferimus, quem stulti æstimamus. Sed perit ille, ut æterni simus; & in hoc tamen carcere laborandum, ut simus; ut cùm Deus evocabit, libenter emigremus; ut libertatem, felicitatem censeamus, quæ sine corpore est; amicitiam verò, quæ solo animo coalescit, & alitur, animum secutura. Nos porrò sejuncti à populo, qui corporis caussâ videtur vivere, divitiis passim, aut cupiditate divitiarum occupatus.

cupatus. Sejuncti, inquam, à populo, animum pergamus colere, quo æterni sumus: pergamus virtutem & doctrinam, quibus æternum facimus. Hunc animum tibi dono: tuus sum, amore, bono Amore factus. Ad librum, & versus quod attinet, aurum accepi, ferrum reddo: ignem tuus ille Apollo fundit, meus algorem. Hem, quàm frigeam, BRVMA hæc ostendet; imò quàm igni tuo incensus caleam, amor tui loquetur. Vale, & scribe, ut te videam. Si tanti quoque corporis facies est, ut inspici debeat, hoc ecce carcere habito. Subitò, ut tuas accepi, Cùm urgeret tabellarius, & abituriret, præcipitare scriptionem malui, quàm differre. Has igitur vicissim ad EBBIVM mitto; qui curandi officio placere utrique gestit. Iterum vale.

EPISTOLA XLVI.

Bruxellam.

SANCTIO DE COMITIBVS, *à Secretis Apostolicis.*

AD amantem quidni avidè ſcribam? Litteris ago, tuaſq; provoco, & hoc auſpicio duraturam amicitiam ordior. Magnas animi tui dotes affectus loquitur, quem vel non ſcribendo promis: ſilentio indicas deſiderium, & ſic amplius amas. An igitur ille ego, quem æſtimes, & timidè accedas? Nimis laudor, cùm ſic extollor. Hem, tuo ingenio meum metiris; ſed ut doctrinæ elegantiæque modeſtiam jungas, in me ſuſpicis quicquid ipſe poſſides. Permittis ut dicam? Boni Amoris hæc velut velitatio eſt. Ducitur & circumducitur ſuo quodam flexu nodus, ut magis ſtringatur. A me igitur & ſignum, & ſimul

mul vinculum animi tibi addicti hanc dexteram habe. Te amare, jucundum mihi; a te amari, etiam gloriosum erit. Amo, quem suspicio; & me amat, qui non minus judicio, quàm exemplo aliorum affectum stimulabit. Vale.

EPISTOLA XLVII.

Noviodunum.

IACOBO VASÆO,
Archidiacono Noviodunensi.

SErò respondi; sed animadverti seriò, etiam in mora culpam esse, iram in amore. Quid tamen est? si adhuc benignus esse sustines, dupliciter jam me tibi mancipatum habes: semel scribendo; iterum, ignoscendo. Vtrumque si expenderis, tuum me ignoscendo, quàm scribendo malis facere. Etenim scribenti si litteras reddam, satisfeci: ignoscenti nisi animum consecrem, igno-

ignorare benevolentiæ jura videor. Sed ut in te aliquam culpæ caussam conjiciam, nimia me humanitas illa tua negligentem fecit; ac retardârunt laudes, nimio velut amoris impetu effusæ. Quam non fiduciam procrastinandi sumerem, tam prolixè & indulgenter provocatus? Deinde iteratâ repressus mihi scriptione animus, parem encomio frontem non invenit. Sed & verecundiam hanc meam aureũ tuum, & verè pretiosum auxit munus, De Genesi, & Exodo Humana libri. Libri, inquam, non in terrâ, sed in cælo scripti; non ab homine, sed à Deo. Hunc spiras, Vir Magne, & salutari genus humanum aurâ imbuis; imò ad felicitatem extollis. Ego me rapi fateor, & quodammodò extra me poni. An dicam? Hoc æstu facto, & velut œstro concitatus, magis magisque amare stilum cogor, qui ad Deum assurgit; æstimare

æstimare mentem, quæ ad originem suam redit. Quid si & manum hoc exemplo meliori jam operi admoverim? Feci, PIETATIS Θαύματα scripsi, & ad typographum misi. Sed flosculi hi duntaxat sunt, & erigentis se animi conatus. Sumam verò è Dogmatum tuorum lectione robur, hauriam lumen, & viam ad æternitatem distinguam. TV MIHI LVMEN ERIS, te respiciam, te cogitabo; imò ut videas, quàm silentium meum damnem, ad te jam scribam sæpius, & litterarum tuarum affectum conabor promereri. Iuveni, quem commendâras, domum ego meam & familiaritatem intimam obtuli; imò mensam, & quicquid alii ambire & rogare solent. Sed consilio ille suo usus est, & alio contubernio, ut spero, non malo. Cæterùm multas hîc quoque bonæ ætatis illecebras esse, & patêre in vitia tramitem non ignoro.

Quos

Quos privatim non possum, publicè moneo, dirigo, duco ad Honesta: illud σπουδαίως ζῆν ἄριστον, inculco. O Deus, quam difficulter multi sapiunt! quam ad frugem pauci animum applicant! Ævi quoque morbo fit, ad sterilia nescio quæ doctrinarum conversi. Elegantiæ, quisquiliæ passim sunt; virtutes, spinæ. Sed vitæ & institutionis flores si conculcari incipiant, quos fructus speres? Viri boni doctique tantum avertent malum: ostendes tu inter utrosque, te optimum doctissimumque esse. Θαύματα mea, ubi typographus absolverit, ad te mittam. Vale.

EPISTOLA XLVIII.

Bruxellam.

IOANNI PONTANO,

Consiliario Regio.

Pietas jubet, ut & fratrem tibi meum commendem; æquitas, ut

ut caussam. Sed æquitas hîc me jubet pium esse; & affectum caussa trahit. Ego propemodum eâdem videor lite involutus, quia frater est; & infelicitati obnoxius, quia communem molestiam sentio. Hęc jam altera tempestas est: non trabes disjicit, sed quietem perturbat. Bene est, propitium video sidus, ipsa affulget Astræa, quam tu incorruptissimâ nobis manu ducis. Fac igitur, & tranquillitatem redde. Quæ sine istâ vitæ conditio? Ecce fratris negotium meum facio; non quia fratris, sed quia justum est. Benignitas tua dabit caussæ, quantum charitas nostra sperat: sic verò quantum accipiet frater beneficium, ego debebo. Vale.

EPI-

EPISTOLA XLIX.

Antuerpiam.

GISBERTO BAVHVSIO.

Hiemem laudavi nuper; sed non in solo anno venustum esse senium, Optime BAVHVSI, pulcherrimâ ætatis tuæ hieme ostendis. An hieme tamen? Plenus annis viges, & veris quodammodò imaginem novus Nestor repræsentas. Hoc est vixisse pulchrè, senectute non gravari: Temperantiæ, Continentiæ, & tot virtutum fructum percipis. Nam plerique etiam ante ætatem homines, tristes ac decrepiti sunt: quod Naturæ interdum vitio fieri dixerim, sæpius vitæ & morum. Quid mirum? animi turpitudo mox & corpus obsidet, domumq; ut sic dicam, inquilinus corrumpit. Rectè Cicero: *Intemperans adolescentiâ effœtum corpus tradit Senectuti.* Sed tu quidem sic vivis, imò sic

vixisti, ut adolescentiæ florem provectus ætate non desideres. Senio integer atque pulcher es, & ne sic quidem senex. Omnino quod Menander olim dixit, verum esse ostendis.

Καλὸν τὸ γηρᾶν, καὶ τὸ μὴ γηρᾶν πάλιν.

Etenim decora & venerabilis canities est; magis etiam, quæ canities non est: optanda Senectus, quæ Senectus non est, & morbi nomen excludit. Tua talis, Litterarum etiam studiis felix, quæ ad pietatem, & sic Deum ducunt. Discis quotidie, & quid à puero feceris, jam grandis natu indicas: dignum te vitâ & Deo reddis; dignum liberis, quos Deo genuisti. In his quoque spiras, in his robustus, doctus, pius es; imò apud doctos omnes piosque clarus. BERNARDVM tuum quis Orbis angulus ignorat? Alii sacram ejus Musam, alii Suadam admirantur, ego utramque. Sed quia filium satis amare

amare non poſſum, in te patrem partem affectûs divido, & magis accendor. Tu me totum quoque, Vir integerrime, rapis: quid amplius? obſtringis tibi, cujus ſcripta evolvis: atque ego, ut amplius debeam, meliori argumento familiaris jam ero; Oratiunculâ, inquam, De Purificatione VIRGINIS MATRIS, quæ ad manum erat. Hanc viam ſterno, ut & Θαύματα Pietatis deinde legas, imò ut ad BERNARDVM tuum redeas; cujus mihi PROTEVS Θαῦμα fuit. Ecce jungimur eodem libro; ut quia filium, & me ames: jungimur annis, ut venerabile illud tuum ſenium pari pietate proſequamur. Ergò & in BERNARDO ERYCIVM habes, in BAVHVSIO PVTEANVM. Tam ſancto vinculo ut me tuum cēſeas rogo. Vale, vive, & dexterâ mox annos computa. Filios, filiamq; cogita, & robur ſumes.

Πατρὶ δὲ γηράσκοντι νέον σθένος υἱέες εἰσί.

De anno Climacterico dixeram: sed ab eo nullum deinceps periculum: evasisti. Octuagesimum primum quidjam non times, novam ætatem, novum sæculum orsus es. Iterum vale.

EPISTOLA L.

SENATVI POPVLOQVE SILVADVCENSI.

Vitreum jam non possum munus, quod accepi, appellare; litteræ, quæ adjunctæ, aureæ fuerunt. Repperistis modum, quo illustrior redderetur liberalitas; quia præter Arcem, honestarum artium studia æstimastis. Vt vitrum luceat, Sole & die opus est: at clariorem me humanitatis vestræ radii faciunt, generoso etiam eruditionis colore picti, ac prorsus Phœbæi. Tractastis arma, quâ fide, eâ fortunâ: coluistis Litteras, ne sine Minerva Mars inhorresceret. Tam pulchro

pulchro exemplo animos ſumere reliqui Belgæ potuerunt, ut poſt nubem & tempeſtatem temporum malaciam ſperarent. Vos, inquam, meruiſtis pacem, quam acceperunt omnes; dubium, paſſi fortiora, an exſecuti; quia non minùs doctrinâ ac ſapientiâ, quàm robore atque armis utendum cenſuiſtis. Videbantur hoc quoque præſidio tutæ ac ſecuræ per hæc bella Muſæ; quæ ubique ferè exules, ſtationem tamen ac ſedem in urbe veſtrâ habuerunt, ſemper habituræ. Quidni? Curia illa veſtra velut ingeniorum Academia eſt, in quâ decus illud viri DIODORVM TVLDENVM familiari affectu colo: quid nos dicere ac docere debeamus, veſtro ille omnium exemplo oſtendit, verè bonus, doctus, prudens. Ego quidem, ut juventutem excitem formemque, nominare hunc unum audeo: audit illa, & quantum Elo-

quentiæ, Historiæ, Prudentiæ tribuendum sit, ex hoc etiam uno encomio intelligit. Nunc pro munere gratiam scribo: pro honore, bis scribo. Sic munere exornastis Arcem, ut & ego me obstrictum fatear: sic me honore, ut non exiguâ parte Arcem dicam vestram esse, & larem in quo vivo. Itaque vester vivo, ut non nisi vester etiam moriar; Liberalitas autem vestra, quæ in vitro legetur, æterna sit. Valete.

EPISTOLA LI.

Bruxellam.

ENGELBERTO MASIO,

Præsidi.

SEcundum hunc Operum meorum Tomum, quem ferre destinaveram, nunc tandem mitto. Ne longiori morâ evilesceret donum, alienâ, & tamen amicâ uti manu volui. Humanitatis tuæ erit, & Viri

caussâ

caussâ Libro favere; & Libri, Viro. Ad Librum quod attinet, Amœnitates sunt: & quidni gravissimas Reipublicæ curas his interdum deliciis mitiges atque emollias? Omnium rerum condimenta quædam sunt, omnisque labor quiete distinguendus, ut duret. Sic nec vita sine somno esse potest, nec annus sine hieme, nec dies sine nocte: quamquàm vereor ne & somnum, & hiemem, & noctem in his Amœnitatibus invenias. Inspice tamen, & excitabor; lege, & incalescam; cense, & illustrabor. Profectò tanquam inspicias, legas, censeas, animos sumo, & ad majora conscribenda propero, quæ multorum quoque somnum, hiemem, noctem discutiant. Quia tamen à Deo ordiendum est, PIETATIS Θαύματα nunc edo: quæ DIVÆ VIRGINIS laudes sunt, nec minùs templo, quàm scholæ aut gymnasio destinatæ.

Nunc virum commendo, ſed inſigni Iuris peritiâ, & vitæ probitate præditum, ingenio & induſtriâ ſingularem, & quem ob has cauſſas amicum habeo. Lumen eſſe Academiæ poterat; ſed à Deo ipſo Reipublicæ & Curię videtur deſtinari. Etenim nominatus inter eos; qui vacuum hoc tempore munus à Conſiliis Regiis petunt, facilè à me impetravit, ut quod ſæpius jam, & cum fructu feci, adhuc facerem, tuumque litteris favorem implorarem. Verbo dicam, ſed omnia dicam, Meretur: quo compendio elogium abſolvo. A Sereniſſimo PRINCIPE petitionis fortuna pendet: tuo judicio ſuffragioque omnia Princeps tribuet. Scit enim rectum ac ſincerum utrumque eſſe, non alio affectu, quàm Reipublicæ dirigi: ſcis ipſe, non alio cauſſam me Amici commendare. Vale.

EPISTOLA LII.

Antuerpiam.

CAROLO SCRIBANIO,

Soc. IESV.

TVus hic liber eſt, & à me tamen mitti debet. Voluiſti ut prodiret; hoc unum beneficium dico: & ut ſic prodiret; hoc alterum. In Virginem tuus iſte affectus eſt, magnus, & te magnum indicat. Quis negabit? qui in VIRGINEM impius, qui in Societatem, à quâ Virgo ſeparari nequit. Sed exiguum eſt, quod à me acceſſit PROTEO: amplius accepi, quàm dedi. Pietatem meam innoteſcere gaudeo; hoc rurſus tuum beneficium eſt: Virginem etiam meo laudari ore voluiſti; hæc tua pietas eſt. Quid reliquum, niſi ut omnes ſciant, me tuum eſſe? pium eſſe? Sciunt, aut te profectò neſciunt. Vale.

EPISTOLA LIII.

Insulas.

OLIVERIO FLORENTIO WATERLOOPIO, V. C.

ET silendo, & scribendo ostendis amorem tuum, Vir Candidissime; illum suavem mihi, & jure æstimandum. Quid excusas igitur? nisi & hoc amoris est. Tu mihi nunquam siles; scribẽdo verò agis, ut quid delinquam ipse, videam. Nunc THAUMATA ista mitto; quæ cujusmodi sint, pietas tua judicabit. Sanè Versus tam admirandus, Proteusque tam varius meo quoque dignus ingenio fuit, aut certè pietate fuit. Hanc ut testarer, Alphabetum scripsi, ad prima sermonis elementa ivi, & quid nisi Mysteria expressi? Virginem laudare, hoc ipsum laudabile est; sed cęlum contemplari, jucundum. Cùm in hoc Versu stellas omnes numerarem, Thau-

Thaumata nata ſunt. Sed qui Dotes Virginis cogitat, quomodò non miretur? Res ipſa, quia novitatem habet, propitium Lectoris ſuffragium inveniet: certè tuum, in quo quieſco. Sed quid hoc? ego ſcribo Thaumata, tu fundis. Litteras, an annos in poteſtate habeas, neſcio: annos ſic notare litteris, miraculum eſt. Diſſertatiunculæ meæ nuperæ breviarium TORRIO tradidi, ut tranſmitteret. Vale, & me tuum cenſe.

EPISTOLA LIV.

Bruxellam.

BALTHASARI DE ZVNIGA,

Legato Regio.

VOti compos, ab epiſtola ad ſermonem veni; & nunc à ſermone ad epiſtolam redeo, tanquam pergam loqui. Nomen tuum, quid niſi jubar eſt? hoc intueri etiam abſens

ſens pergam, ne lateam aut languecam; tuo è tenebris eniti patrocinio, ut ſimul Litteras attollam. Hoc LIPSIVS ille tuus egit; hoc ago, vel potiùs conor, ut LIPSIVM imiter, ut tuus ſim. Virtutes ille tuas ſummas, quemadmodum intellexit, ita coluit atque celebravit: animo coluit, ſtilo celebravit, facile, & ſimul difficile exemplum conſtituens. Itaque plus animo auſus ſum, quàm ſtilo: ſcivi quantum ſummis tribuendum virtutibus eſſet; eas ornare, ut decet, majoris erat ingenii & eloquii opus. Et tamen annorum aliquot epidigmata Heroïcis tuis oculis ſubjeci: etiam Hiſtoriam, quæ quocumque ſcripta modo, tamen placere ſolet. Nunc Pietatis argumento audax ſum, & Proteum hunc explicatum mitto, paucorum dierum, ſed bonorum, operam; Verſui uni, & tamen pluribus datam. Divina Humanitas

manitas tua, quia ſic me permittit familiarem eſſe, aliquid & ingenio & eloquio ſubſidii ſuppeditabit. Hac fiduciâ ſcribo, poſtquàm loqui datum eſt, & clientem me conſtituo; in Te magnos illos Patronos meos VELASQVIVM, & FONTANVM recuperaturus. Sic vale, vive, & feliciter proficiſcere, ô inclytum Hiſpaniæ ſidus, amor & delicium Belgarum.

EPISTOLA LV.

Tornacum.

DIONYSIO VILLERIO,

Cancellario Tornacenſi.

HOc prorſus eſt abOVO ordiri: & an pulchrius ſcribendi argumentum ſumi potuit? Breve quidem encomium eſt, & vix libellus. Sed Mercurii acervum lapillo augere pietas permittit. Deinde, quia in OVO auri & argenti imago eſt, aliquem

aliquem in magno librorum tuorum æternoque thesauro locum inveniet. Ego non munusculi tibi pretium commendo, sed candorem animi, qui OVO exprimitur. Pretium humanitas tua addet munusculo; quia mittentis affectum, imò, quia ferentis officium amabis. Hic LVCAS TORRIVS est, adolescens animi cultioris. Si permittis, meum esse dicam, & sic laudavero. Iam quoque tuus esse cupit, & hac meâ tesserâ ad familiaritatem venire. Fave adolescenti: ita enim gratum esse encomium intelligam. admitte tesseram; ita aliquid contulisse in ipsum illum meum videbor. Quæ summa est: ut te amo & observo, ita ostendere affectum volui: faciet benignitas tua, ut amare & observare suave sit. Vale.

EPISTOLA LVI.

Bruxellam.

PHILIPPO GVILIELMO,

Principi Auriaco.

QVod mitto munuſculum, Pietatis titulum præfert, & inclyto nomine tuo illuſtratur. Thavmata ſunt; quaſi ſtellarum & cæli admiranda dicam. Sed qui te adſpicit, admirari cogitur. Virtutes tuæ velut ſtellæ ſunt: pectus illud verè Heroïcum, tanquam cælum.

---- *Ipſe Deum manifeſto in lumine vidi.*

Hoc, inquam, lumine perfuſus ſum, & incalui; ut quod Virgini panxi encomium, tuâ gloriâ augerem. Ergò jam libentiùs omnes legent Thaumata, quia Avriaci nomine exornata: imò religioſiùs colent Virginem, quia in tuo oppido miraculis claram. Proteus iſte miraculum

culum est; & sic Virgini erat consecrandus. Thaumata loquuntur Virginem, & tuam simul debebant pietatem celebrare. Accipe igitur, Optime Princeps, hoc ingenii mei religiosum monumentum, & permitte, ut ad majora benignitate favoris tui progrediar; nisi tamen maxima sunt, quæ pietate constant. Hic sanè quomodò Liber unus Versum faciat, & Versus unus Librum, omnes admirabuntur. Vale.

EPISTOLA LVII.

Antuerpiam.

GISBERTO BAVHVSIO.

FOecundum tu filium habes, Vir Amicissime, qui gignere Proteum potuit, & uno versu stellas omnes complecti. Miraculum omnes clamant, & ego stilo testatus sum; Thaumata scripsi. Sed vide hoc certamen, & ama. Cùm idem liber BERNARDI & ERYCI

nomen

nomen ingeniumque jungeret; voluit ille à me mitti munus, quod dividi non poterat: ego ab illo, quod mihi nec volebam, nec debebam vindicare. Tuus, inquam ego, Proteus est. Tua, inquit ille, Thaumata sunt. Vincebam jure, & vincebar tamen imperio. Tanquàm Pater, voluit me sibi obsequentem esse; cùm patrem interim ipse negligeret. Sed quid est? neglexit, ut magis coleret; & in communionem hanc pietatis me traxit, ut & meo affectu filius videretur. Cogita igitur Proteum Bernardum tuum esse. Suâ pulcher & clarus, Puteani tamen assumit formam; ut ostendat, quanti amicum faciat. At nónne satius esset, me in Bernardum commutari! Sic doctior, sic melior, sic felicior forem. Nunc quem exprimere non possum, imitor; & ut videar imitari, laudo. Ejusmodi Thaumata ista sunt: explicant Pro-

teum, & simul Auctorem celebrant; minùs sic quidem jam auctori grata, qui ne quidem nominari voluisset. Sed obsecro, ánnon elogio dignus fuit, qui miraculum dedit? imò ánnon celebrari meruit, qui elogium rejicit? O pulchrum tot virtutum ornamentum, modestiam! Hæc me, ô fortunate senex, hæc me quasi immodestum fecit, ut mitterem munus, quod appellare meum non poteram. Mitto igitur, & sic tamen Bernardum tuum repræsento. Proteum mitto, ut ab ipso Thaumata exigas, bis Proteum, & bis Thaumata accepturus. Vtrumque hoc officio fungi, pium est: dividi enim, ut dixi liber non potest. Nunc gratiam optimæ & ingeniosissimæ filiæ tuæ scribo: perfudit formosâ colorum luce Virginis imagines; artem suam pietate, pietatem arte commendavit. Quicquid Proteus dicit, quicquid Thau-

Thaumata insinuant, pictura habet, & jam in templo æterna est. Vale, vive, & tam pulchrâ senectâ ornare pulcherrimam urbium perge. Totam Amicorum classem suavissimo affectu salvere jubeo.

EPISTOLA LVIII.

Antuerpiam.

CORNELIO LANCILOTTO,
Augustiniano,
S. Theologiæ Doctori.

Liberalior, an benignior fueris, dubito: ita & munere, & epistolâ effusus es, & me totum tibi obnoxium reddis. In epistola te legebam, & benevolentiam mei: in munere, magnum illum, & quem non minùs imitaris, quàm describis, Augustinum. Tali calamo tam admiranda vita digna erat: tali colore hæc doctrinæ pietatisque imago. Nemo ignorare magnæ familiæ

magnum patronum poterit, à te descriptus est: addita ornamenta, quæ non hoc tantùm sæculum admiretur. Sed quid? in me derivas radium tam clari luminis: laudas Puteanum, ubi satis erat nominare. An diffitear? Mediolanensis illa professio mihi pulchra visa, quia Augustinum habuit; tantique successio fuit, ut libello celebrârim. Descripsi Scholam sive Cathedram, recensui Rhetores: sed quos omnes obscura recondere fama poterat, nisi inter omnes Augustinus docuisset. Tibi ergò debeo, Mediolanum debet: hic docuisse Augustinum ostendis. Hæ nunc quoque Mediolano missæ sunt litteræ, fideique meæ commissæ, ut in manus tuas quamprimùm venirent. Sed fortassis & hoc quod commemoro beneficium, agnoscunt. Quicquid sit, Illustrissimi Cardinalis Borromæi & manum, & affe-
ctum

ctum videbis. Tam insignem Antistitem quia peculiari affectu colimus, peculiari etiam inter nos jungamur. Responsum sic etiam tuum expectabo, ut cum meo transmittam. Vale.

EPISTOLA LIX.

Bruxellam.

PETRO TOLETANO,

Principibus Belgarum ab Eleemosynis.

OMnibus modis Humanitati tuæ obstrictus sum, Illustrissime Vir, quæ & in alios meâ se caussâ extendit. IOSEPHVM BARBATVM, sic amari, virum Orientalium linguarum peritum, Academiæ verò nostræ, adeoque Reipublicæ utilem, quidni gaudeam? Laudo hominem; ut tuum sic magis beneficium æstimem, extollam favorem, quo neglectas artes linguasq; ipse extollis. Nam profectò quor-

ſum doctrina, niſi cultus ille varii atque eruditi ſermonis accedat? quorſum, multa ſcire, nec poſſe eloqui? Quamplurima etiam alieno & exotico idiomate ſepulta jacent, quæ aut Barbati, aut fortaſſis nullius operâ vitam & vigorem accipient; ſed ſi ipſe vivendi & vigendi fomenta. Bene ſpero: accipiet, & ſic Benignitati tuæ magis debebit. Ego in Arce inſtaurandâ, quantum licet, occupor; ut dignam Sereniſſimorum Principum oculis & ingreſſu reddam. Vtinam brevi fiat! Vtinam Solis noſtri Lunæque radiis locus tam antiquus illuſtretur! ſidera ſic omnia propitia habebo: inter quæ tuum mihi nomen magnum eſt, virtus æterna. Vale, & me ama.

EPI-

EPISTOLA LX.

Bruxellam.

BERNARDO MONTGALLIARDO, *Abbati Aureæ vallis.*

COllegium Milianum res magna eſt; ideoque difficultates ſuas adferet, ſed paullatim ſuperandas. Emptum eſſe fundum intelligo: aliqui tamen ædes VVamelianas videntur præferre, & cauſſas conſilii ſui habent. Si ædificandum eſt, præſtat à fundamentis; & ſemel deſignare opus, ut formam & Symmetriam habeat: ipſa verò educatio ordinem ac diſciplinam. Meum conſilium ſit, Vt ad Litteras & linguas ſimul adſtringantur hi alumni; ut ſcientiis elegantias jungant, quæ vera doctrina eſt, Reipublicæ & Eccleſiæ neceſſaria. Meum hoc, inquam, conſilium ſit, ſed tuo exemplo, Vir Magne, qui ut doctiſſi-

mus & simul facundissimus es; ita ostendis, quid potissimùm fieri hîc debeat, & quibus præsidiis ingenia exsurgant. Litteras paullatim Græcas introducendi bona hæc occasio sit, sine quibus Latinæ languent, ac ne Latinæ quidem sunt. Vt corporis, sic & mentis munia se habent: geminâ manu opus, ut illa corporis perfectè, & cum laude obeas; geminâ linguâ, ut illa mentis. Prorsus mentis manus lingua est, una & gemina, dextra & sinistra, prout usurpes. Quid plura? Ritè Collegium hoc instituatur, & geminum erit. Vale.

EPISTOLA LXI.

Gandavum.

IVSTO RYCQVIO, V. C.

SAnctioris Camœnæ pretium elegantissimo hoc præmetio ostendis, mi RYCQVI, præmio dignus, quod *Romanæ fidicen lyræ* olim

olim optavit. Perge verò, sic *tendere barbiton*: imò, sume *superbiam quæsitam meritis*, te curia Apollinis Lyricis vatibus inseret, & immortalem reddet. Ita me Deus, erudita scriptio tota est, culta, elegans, & Genii penitus prisci. Sed nisi sic assurgant, infelices & crudi poëtæ conatus sunt, atque irrito labore, post famæ ludibrium, evanescunt. Nunc Capitolium expectamus, aptum sanè ingenio tuo argumentum. Capis istam magnitudinem, & te dignitas quoque Romana capiet. Ego ut aliquid etiam me ostendam agere, imò ut vicissim aliquid ad te mittam, Historiam mitto: in qua, quantum vires permisêre, conatus sum, & ad melioris ævi imaginem me composui; ut nupera, velut antiqua; & tamen longinqua, velut nostra, ore non barbaro narrarem. Qui curiosus erit, voluptatem percipiet; qui studiosus, fructum. Pu-

 tes

tes tam hic delectari utile esse, quàm jucundum instrui. Atque ut majori etiam desiderio quosdam incenderem, jam in antecessum indicavi aliena me scripturum. Ergò invitabo quosdam, tanquàm negligam: sed nec vehementiùs quemquam videbor posse allicere, quàm si arceam. Quippe ita naturâ sumus; quicquid nostrum non est, indagare juvat; facta, dicta, scripta, consilia, & ut nihil desit, somnia. Nemo suum putat, quod suum est: nescimus vernacula, desideramus peregrina; negligimus nostra, curamus aliena: in urbe sic quisque suâ vitam degit, ne domi sit. Alius forum terit, alius templum, scholam, Curiam adit, ut rumores colligat, & mores omnium sagaci calliditate exploret. Rectè quidem, si ut suos corrigat. Sed quid est? Argus ubique, quoties Larem petit, & ad se redit, læsâ fronte, aut potiùs

tiùs mente, Cyclops eſt. Lamiam fabulantur domi oculos ſibi eximere, in pyxidem reponere, & cæcam eſſe; ubi prodeundum eſt, ſumere, ac videre: hac malignitate perverſa natura crevit. Homines aliqui, cùm explorant omnia, hoc agunt, ut ſe ipſi neſciant, ac ne videant quidem. Amplius dicam: fingunt vitia, cùm non inveniunt; virtutes autem quoties animadvertunt, acerrimis odiis proſequuntur. Omnes malos putant, cùm ipſi ſint peſſimi: viris autem probis modeſtiſque ſuperbiæ & ambitionis dicam audent impingere. Quid etiam? perſonam gerunt, celare vitium poſſe, ſumma virtus eſt: tum ſi quâ bonitatis opinione vulgi animos invaſerint, incredibili faſtu auctoritatem extollunt atque ſtabiliunt. Nihil novi narro: omne his moribus ſæculum fuit, omnemque virtutem invidia excepit & exercuit.

cuit. Nuper etiam inter mala, damnosa, impia, haberi cœpit, elegantiæ atque eruditionis studium : quasi optimè cum humano genere ageretur, si barbaries triumpharet, aut nemo certè esset, qui viventium memoriam posteris traderet. Miseri mortales, cùm à suâ omnes ætate vitam ordiuntur : bis miseri, cùm nomen simul omne sepulchro inferùnt, quasi non fuissent. Ignavia latebras amat; & felix silentium censuit, quicunque, ut lateret, vixit. Multi sæpe mortales ignorari pulchrum putant, ut infamiam declinent; & cùm per inertiam, aut flagitium annos exegerunt, judicia posteritatis reformidant. Sic vivendum est, ut mori te posse censeas, extingui non posse. Etenim de ęternitate suâ dubitare mihi videntur, qui otio involuti, & quietis dulcedine securi, postumam contemnunt famam, aut negligunt. An tu putas
cæli

cæli contubernium ingressos, & felici ævo æternos, sic oblivisci hominum posse, ut sciri in terris, atq; coli fastidiant? Sanè ad exemplum vivere si pulchrum est, quidni & vixisse? Virtutem nolo ambitioni servire, aut ideo pulchra adire facinora, ut perennitas succedat: sed quemadmodum pulchram vitam honestamque claritas non deserit; ita tenebras silentiumque abominor. Famam commendo, ut scelus atque turpitudinem fugias; & virtutem inculco, ut præmium secteris. Omnino ita est: quisquis vitæ summam arbitratus est, honestè vivere, ignaviam propulsare, Reipublicæ prodesse; gloriam meruit. Deinde ut turpe est per scelera inclarescere: ita reprehendi non debet, qui modestiâ, probitate, temperantiâ, humanitate, & bonâ mente nomen quærit. Neque enim ut magnus æternusque sit, rectè agit;

sed

ſed quia rectè agit, hominum atque fortunæ malignitatem vincit. Non verò celabo conſilium meum: pro famâ & æternitate loquor, ut majori in pretio Hiſtoria ſit; ſine quâ quicquid retrò fuit, perennare non poteſt; quicquid eſt, mox deſinet. Hanc unam quia ignavi timent, fortibus eandem boniſque invident. Exempla tollunt, ne cogantur exprimere; & tenebris ævum ſuum omne obrui malunt, quàm infamiam expectare. Hi igitur Litteras arteſque bonas perpetuâ calumniâ onerant; tanquàm pulcherrima ſcientia ſit, eruditionem, elegantiam, eloquentiam ſpreviſſe. Sed mihi nihil præclarius in toto doctrinæ regno viſum eſt, quàm Hiſtoriam ſcribere. Et poſtquàm id munus à Maximo Regum PHILIPPO accepi, Virum delegi, quem celebrarem; & ex eâ potiſſimùm gente, cui Hiſtoriographus datus

datus eram. Virum verè ſtrenuum, &, ut omnia dicam, MEDICÆVM. Satis fortaſſis ille magnus non eſt, quia ignotus: at ego eum celebro, ut oſtendam magnum eſſe, & dignum Hiſtoriâ omnes fateantur. Deinde non magnus, quia quibuſdam reprehenſus: ſed illi, ut præclariſſimas virtutes protererent, juvenilem quendam animi impetum, & ætatis errorem, nimiâ ſcribendi ſeveritate inſectati ſunt. Itáne quamcunq; formæ venuſtatem nævus unus alterque deſtruet? exiſtima etiam in milite pulchram cicatricem eſſe: amœnioremque Solis vultum, poſtquàm nubes rejecit. Homo fuit, quem magnum dico; & à puero tractavit arma, habuit hoſtes, ſubiit pericula: exorbitaſſe à virtutis quandoque tramite, & tranſverſum ſive errore, ſive impetu raptum, cur mireris? Siquid adoleſcentia peccavit, virilem

ei ætatem, adeoque nobilissimam illam senectam oppono. Malignitas est, in tantâ rerum copiâ seligere quod reprehendas; copiosam autem laudis segetem præterire. Virtutem si quando fortuna recusabat sequi, aliquid sibi militaris indulsit ardor, ut honestam violentiam faceret. Sed quis omnino Marti placuit, & reprehensionem non incurrit? præceps via est, & vix arma injuriâ carent. Ecce Philippi & Alexandri bella Porticus turpissimo vocabulo *Latrocinia* appellat; nemo tamen exstitit, qui indignum historiâ utrumque faceret, aut à gloriâ removeret. Seorsim filius ille Magnus à pueritia latro, gentiumque vastator audit, &

Terrarum fatale malum, fulmenq; quod omnes
Percuteret pariter populos, & sidus iniquum
Gentibus:

nemo

nemo tamen in totâ antiquitate fuit, qui plures ſcriptores (teſte Arriano) numeret, aut in quo amplius omnis poſteritas mirata ſit, & obſtupuerit. Malum, ſęvum, veſanum. Sic aut ille nominat; omnes tamen *Magnum, & ſupra humanam potentiam magnitudine animi præditum.* Sed MEDICÆVM qui non novit, parvum dicet; non novit autem, qui rerum Mediolanenſium imperitus eſt. Ego, ut aliquid obtrectatoribus reſpondeam, ad res geſtas provoco, & nomen inde quæſitum: ad magnitudinem provoco, pari prudentiâ & fortitudine paratam. Vt ſcias ſupra invidiam eſſe, non Alexandrum modò, ſed Philippum expreſſit: hunc dolo, illum virtute; tanquàm leonis, & ſimul vulpis exuviis meritò exornatus. Itaque non infelicius armis, quàm artibus Bella tractabat; decipere hoſtes callidus, & audax oppugnare. Si con-

 ſilio

ſilio opus eſſet, prudens; ſi animo, magnificus. Lenis & ſeverus erat, cautus & intrepidus, fortis & felix. Satis hoc eſſe poterat, MEDICÆVS erat: quem *Alexander* & *Coſmus*, Hetruriæ Duces, cognatum publicis litteris appellârunt. Magnum tamen dico, cujus frater Pontifex Maximus fuit. Magnum, qui Avunculus ipſe D. CAROLI BORROMÆI: qui Marchio Muſſii, ac deinde Mariniani, qui Comes Leuci; qui æreos, argenteos, aureos effigie imperioque ſuo inſignitos juſſit nummos cudi. Magnum, qui rebus conſtitutis, apud CAROLVM V. Imperatorem, & FERDINANDVM Regem Romanorum magnus fuit, omnibuſque bellis pręcipuo militiæ munere eminuit. Magnum, qui conciliante PAVLO III. Pontifice, MARTIAM VRSINAM, ſororem Comitis Petiliani, materteram duorum Cardinalium, duorumq; Ducum FARNESIO-

NESIORVM, matrimonio ſibi-junxit. Magnum, qui belli Senenſis ſummus Præfectus, prœlio celeberrimo STROZZAM vicit, qui Portum Herculis, & urbem Senam cepit, qui terrori hoſtibus omnibus AVSTRIACI nominis fuit. Magnum denique, quem Aurei velleris honore PHILIPPVS Rex donare decreverat, ſi ſuperſtitem eſſe fata voluiſſent. Quantus fuerit, nunc etiam ſepulchrum loquitur, & ſtatua à fratre PIO IIII. Mediolani erecta. Nemo propemodum in Italiâ totâ magnificentiùs tumulatus eſt: & qui monumentum viſunt, nunc quoque in ære MEDICÆVM, in MEDICÆO Martem ſpirare credunt, Metu & Terrore, vel potiùs Bellonâ & Victoriâ ſtipatum. Sanè apud Mediolanenſes nomen MEDICÆI paſſim pro invicto robore atq; fortitudine uſurpatur, & proverbium facit. Plura adderem, niſi in ipsâ

 mallem

mallem historiâ heroëm meum legi; quem describere ausus sum, non quasi alii egregiæ virtutis nominisque viri deessent; sed quia nemini minus favor Musarum tribuerat. Vbique terrarum clarus victoriis suis erat, & adhuc ab Historiis exulabat. Ego quidem, quia res Mediolanensium pro munere meo scripturus eram, haud potui aptiori atque digniori argumento ad plenam Historiam viam sternere: & quia urgebar, ut specimen operæ statim darem, paucas tum pagellas exaravi, & exhibui. Hæ quia placuisse visæ, resumpsi tandem, amicorum rogatu, calamum, & quæ sub Carolo Cæsare, & Francisco Rege apud Insubres arsêre bella, velut designavi. Sic vitam resque à Medicæo gestas grandi satis nunc volumine prosecutus sum, ut Austriacas maximè victorias ostenderem: & stilo usus, ut Historiographi

graphi munus non tralatitiâ operâ usurparem. Quæ verò dedi, nullo mendacii colore adulterata, nullo corrupta figmento invenies. Rerum fidem religiosâ oratione colui; quippe ab omnibus imposturæ caussis remotus. Vt liber essem, ab alio ævo argumentum sumpsi: virum, inquam, cui nihil deberem, nisi quantum virtus exigeret. Ergò laudanti interdum propior fui, quoties aut ad facinus egregium, aut ad consilium callidum stilus surgeret; ita tamen, ut illæsam ubique veritatem haberem. Quidni autem id licere arbitrer, cùm clarorum virorum facta moresque non sine elogio posteris soleant tradi? Quoties dignum narratione exemplum incidit, decora quoque laus est: judicium suum scriptor promit, addit affectum, ut Lectorem excitet: nihil gratiæ, nihil ambitioni datur. Ego me Historiam scivi

 scribere,

ſcribere, in quâ ſi una veritas deſideraretur, fruſtra adeſſe omnia. Hac igitur fiduciâ liber fui, fraudem non commiſi. Quod ſolet, inſpexi tabulas, audivi teſtes, expendi ſingula: demum, ubi res anceps aut involuta fuit, quid populi ſermone vulgatum eſſet, amplexus ſum. Magno tamen auxilio Comentarii fuêre, quos rerum ſuarum ipſe aliquando ſuâ MEDICÆVS manu compoſuit: Comentarii, ſed rudes, & vernaculâ ſimplicitate boni. Rebus ipſis auctor contentus fuit, totamque laudem cenſuit, geſſiſſe. Ornamenta cur captaret? ſcire duntaxat ſua voluit; imò ut credas, ab omni fallendi ſtudio, ſive conſilio abfuiſſe, ſibi ſcripſit. Atque hoc quoque laudandum in omni viro forti cenſeo, ſtilum, etſi impolitum non dedignari, ſua ipſius facta in exemplum ſibi & examen ducere; è geſtis gerenda ordinare & corrigere.

Sed

Sed noster, ut multum sanè Comentariis suis præstitit; ita plurimum scriptoris industriæ reliquit. Verus fuit, ne quis alius mentiretur. Sed ego prolixus, mi RYCQVI, qui ut munusculum tibi meum probarem, argumentum explicui. Insubricas jam Antiquitates paravi, & in sex distinxi Libros, qui Irruptiones Barbarorum in Italiam continent. Fortassis ad omnium magis gustum hi erunt. Quid faciam, vides: viam ad Historiam molior Belgicam; quàm volente Deo, & Principe meo, scripturus sum, te verò æternùm amaturus. Vale. In Muséo meo, ut Odas tuas perlegi.

EPI-

EPISTOLA LXII.

Bruxellam.

PETRO ROBERTIO
Suo.

ET quia abes, & quia ſiles, mi Roberti, morbum indicas: ſed an gravem? Ante omnia igitur animum erige, ut neceſſitati par ſis, & ferre velis, quicquid Deus impoſuit. Quàm fragile à naturâ corpus acceperis, malo quidem tuo, ſed & bono diſcis: diſcis, minùs corpori tribuendum eſſe. Neque hæc unius tua ſors eſt; eſt omnium. Nemo tam felix, ut omni ægritudine careat. Nunc cum capite & faucibus, nunc cum pectore & ventre, nunc cum manibus pedibuſque negotium eſt. Ipſam vitam morbum puta. Etenim ad hoc naſcimur, ut miſeri ſimus; ſed ſi tolerare miſeriam non poſſumus. Non profectò excuſat,

cuſat, Iuvenis ſum: homo tamen es. Non etiam, Hactenus valui: expectandus erat morbus. Citra ſenectutem ſenectutis mala ſunt. Non hiems tantùm, ſed & æſtas nubes, pluvias, tempeſtates habet: non fructibus tantùm, ſed & floribus vitia inſident. Excute omnia, morbum in omnibus invenies: ſed communi te quoque lege cogi. Si potes, nunc etiam ſcribe aliquid, aut certè lege, ac generoſo conatu oſtende, te majorem morbo eſſe. Ante omnia vitæ tibi ſtatus ordinandus eſt, tanquàm novam cum valetudine vitam auſpicaturus ſis. Qui ancipiti ſemper conſilio pendet, nihil agit, & conſuetudine tandem otii, naturæ vigorem hebetat. Quamdiu verò dubitas, an Litteræ capeſſendæ ſint, incertam ducis mentem, & totus fluctuas. Omnino capeſſendæ: & hoc initium vitæ ſit, quam ut feliciſſimam agas, in te ſi-

tum est. Res verò tota facilis, si ingenio utaris, & rationem disciplinę admittas. A me quæcumque proficisci possunt, non modio, neque trimodio, sed toto, ut Comicus loquitur, horreo admetiar; ut à Litteris ad Sapientiam quoq; emergas, & industriâ tuâ consequaris omnia. Egregias sanè jam dotes possides: ornandæ sunt; & quemadmodum auro gemmæ addi solent, ita morum elegantiis pretium doctrinæ junges. Animum modò erige, quem fortassis morbi iste languor deprimit. Morbus sobrietate & ratione quadam victûs potusque vincendus est: quod familiæ vestræ Æsculapius & expertissimæ vir Artis HARLEMIVS magis suggeret. Nunc silentium rumpe; & si æger es, te non valere scribe: si non es, scribendo ostende, te non esse. Scio verò te venire non posse, nisi valeas. Vale.

EPISTOLA LXIII.

Bruxellam.

FRANCISCO PAZIO, *Archiatro.*

VEnlonæ fui, & in Patriæ ſinu, inter propinquos & affines reſpiravi. O convivia! ô colloquia! ô chariſtia! Tui memor, tantò ſemper lætior fui, quantò ſobrior: Principum memor, quorum ſalutem, hilari circumlatam ſcypho, & ſimul ſermone, votis epulantium commendabam. Nunc omnis hæc evanuit voluptas: redii, ad te ſcribo, ut novam inveniam. Scribo, & ingenii hoc munuſculum mitto, victurum fortaſſis, ſi in bibliothecâ tuâ reponatur. Æs & æruginem meram mitto; ſed ab auro & theſauro tuo ſplendorem capiet. Quia non magnus, malus hic liber non erit; bonus, quia inter bonos: malum certè nemo dicet, qui à te legetur. Vale.

EPI-

EPISTOLA LXIV.

Leodium.

ANTONIO HVYSMANNO

Suo.

SCabiosa, & simul periculosa vita est, quæ in foro, & inter lacrymas sordesque reorum agitur: tu rectè, qui ad quietem studia confers, liberaliter ingenii dotes occupaturus. Hoc sanè est in portu navigare. Conditio hæc ipsa honesta est; feliciorque olim Dionysius, cùm ferulam, quam cùm sceptrum versaret. Docuit, & sic Regem egit: tyrannum, cùm imperavit. Scholam etiam cur horreas? hæc patris tui, sed cum laude & fama, Sparta fuit: patrissare pulchrum puto. Mihi quoque sic magis jungêris, etsi jam amicus. Quia enim in patria mea urbe juventutem docturus es, bene de eâ tu mereberis, & ego annitar,

ut

ut ipſa de te. Faciam igitur quod rogas, imò faciam quod nec rogas, & Senatui induſtriam tuam, eruditionem, ingenium commendabo. Perſevera tantùm, & egregiè impende operam: majus tibi Fortunæ beneficium paratur. Sic vale, me, & virtutem ama, quæ Fortunam faciet. Subitò, ut tuas accepi.

EPISTOLA LXV.

Mediolanum.

IO. BAPTISTÆ SACCO,

Senatui Mediolanenſi à Secretis.

IN mediis hîc jam feriis ſumus, & tamen occupamur: Procyon furit, & frigemus. O negotia! ô cælum! illa ſæva, hoc benignum. Miteris, mi SACCE, temporis Ver eſſe, rerum verò Æſtatem. Quid vos, quàm valido iſtic caletis Sole? quàm ſuavi quiete reſpiratis? Vereor, ne & Soli Mars ſe jungat,

quieti arma. Allobrox, nisi rumor fallit, ad arma redit, Veneti pugnare pergunt, tempestas proxima est. Et quomodò igitur Italia floreat? Nuper qui hostis erat, provinciam læsit, ut fortis esset: potentissimus Rex noster, quia calamitati pepercit, quia pacisci maluit quàm vincere, sivit ad arma recursuris, aut vires, aut certè animos crescere, qui instar virium sunt. Lenta illa bella, & sic mansueta, nocent. Victo, quàm pugnanti malim parcere: semel peragere, quàm semper impediri. Romanum olim erat,

Parcere subjectis, & debellare superbos:

nunc Austriacum, etiam invitæ pacem Europæ dare. Sed lubricum hoc argumentum est, vorticosus amnis, quem ineo. Non Delius ego, qui hic natem. Refero pedem, terram meam tango, privata scribo, à publicis abstineo. Ecce novam mihi prolem uxor dedit; sed quam

sibi

ſibi ſociet, femininam. Infelix hæc igitur felicitas eſt, aut felix infelicitas. Quaſi dicam: tantum mali nactus ſum, quantum boni acceperam. Quatuor (tribus nuper extinctis) numerabam filios, & quatuor filiæ acceſſerunt. De hoc ſexu an rectè Menander, tu ſtatue, qui hoc ſolo pater fuiſti. Ait ille:

Ὅπου γυναῖκές εἰσι, πάντ' ἐκεῖ κακά.

Sed fortaſſis in malas inciderat, aut genuerat malas. Vt intimum meum ego ſenſum promam, aut molliùs judicare malim, aut hìc reſcribere: πάντ' ἐκεῖ καλά. Quare & in filiabus felix ſum, nec in hac mea felicitate ulla infelicitas eſt. Suaves mihi gnatæ, quæ matrem repræſentant: ſuavia pignora, quæ non omnibus contingunt. Filios naſcendi ſorte accipimus, ſive bonos, ſive malos: in filiabus eligimus, ac niſi fallimur, bonos. Obſervavi alibi, *in bono genero acquiri filium, in malo & filiam amitti.*

amitti. Nostræ saltem potestatis est, ut quam genuimus, nostram habeamus; quem non genuimus, faciamus. Præmaturè ista: à die natali, ad nuptialem transilire, intempestivum est. Nata est filia, & tanquàm adultam laudo: erro. Teneriores in primâ & innocenti ætate deliciæ sunt: &, ut istuc redeam, sequior ille sexus suavior. Primi statim anni gratissimâ & formosissimâ verecundiâ florent: at masculi mox frontem & tristitiem sumunt. Affectus mollior est: & masculi durioris genium naturæ sequuntur. Ministerium solicitum: at masculi, tanquàm ad imperium nati, & priusquàm adulti, heriles animos gerunt. Filius sibi & generari & educari videtur, filia parentibus: his adhæret, curarum aut laborum socia, familiæ auxilium atque ornamentum. Iam in tenerâ ætate imaginem matrisfamilias sustinet;

sedula,

ſedula, intenta, ſolicita; cibum, ſupellectilem, domum adminiſtrat; otium acu, aut fuſo, aut radio occupat, manu ingenioſa eſt. Artium liberalium elegantiæ ſi accedunt, felicitatis acervum putes; ſi honeſti & generoſi amor, divinitatis ſimulacrum. *Ταμεῖον ἀρετῆς ἐστὶ γενναία γυνή.* Catonem cogita: talem ille Porciam genuit. Sed & Cicero Tulliam ſuam delicias lucemque potuit appellare. Aliæ ſexu molles, eloquentiâ robuſtæ, tanquàm filii facundiſſimis genitoribus exſtitêre. *Lælii filia*, ut Quinctiliani utar verbis, *reddidiſſe in loquendo paternam eloquentiam dicitur: & Q. Hortenſii filiæ oratio apud Triumviros habita, legitur non tantùm in ſexûs honorem.* Atque utinam jam legatur quoque! Periit oratio, Hortenſia tamen facunda eſſe non deſiit; laudanda, quamdiu pretium litteris aut Antiquitati erit. Sed nec Oratio periit:

argumentum, si non verba Appianus expressit, lib. IV. Bellorum Civilium: expressit Græcè, quæ Latinè Hortensia dixerat. Quid opus referre? *Repræsentatam patris facundiam* Valerius Maximus testatur, non sine elogio: *Rivixit tum muliebri stirpe Q. Hortensius, verbisq; filiæ adspiravit: cujus si virilis sexûs posteri vim sequi voluissent, Hortensianæ eloquentiæ tanta hereditas unâ feminæ actione abscisa non fuisset.* Atque ego in filiabus meis non tam eloquentiam, quàm modestiam, verecundiam, honestatem æstimabo. Nec frustra Comicus:

-----Tacita bona 'st mulier semper,
quàm loquens.

Si pia, & pudica, satis facunda est: si parentibus, ac deinde viro morigera, satis docta: meliorem etiam nulla dotem attulit. Filias igitur habeo, nec accuso sortem: sic & filii ornantur, aut frustra Æoli familiam

liam Homerus laudat. Vt verbo absolvam, liberi parentibus carissimi esse debent: at liberi tam filias, quàm filios; imò tam filiam, quàm filium significant. Deum rogo, ut quos genui, educari virtuti pietatique possim. Sic quæ alii onera, solatia ego putabo; quas alii curas, ego divitias. Dives ipse liberis ero: atque hæ pulcherrimæ opes sunt. Fusiùs ista, Optime & Clarissime SACCE, quia tecum, ceu filius cum patre colloquor. Atque hæc familiaritas, quædam quasi pietas censeatur. Sic accipe, & me ama; imò meos, atque meas. Ad MONTORFANVM seorsim, sed breviter scribo. Muséi Ioviani sic nomen aboleri vix fero. An Barbari redeunt? an Galli denuò Romam capiunt? Hoc sine Marte bellum est: non in homines, sed elegantias sævum. Quem jam sperent diem Comenses? Sol hesternus extinguitur, &

Iupiter cum Sole. Feramus ævi fata: in virorum doctorum libris, & mea quoque Distinctionum facula saltem Muséi illius imago vivet. Muséum est, quicquid divina Iovii manus scripsit. Hæc monumenta nulla injuria destruet. Vale, & meus semper esto.

EPISTOLA LXVI.

Insulas.

OLIVERIO FLORENTIO WATERLOOPIO, V. C.

O Munus, quod accepi! AMOR est, honestus ac DIVINUS est, à Viro magno scriptus, à te amico missus, sed tanquàm scriberes. Stricturæ prosiliunt: sed à scribentis, an mittentis igni? Mehercle utriusque. Pingit ille τὸν ἔρωτα, tu exprimis; & ut tuum ostendas affectum, à DIVINO ordiris. Firmiorem sanctioremque tesseram quis depromat? A Deo igitur hic tuus Amor est;

eſt; & ego, quoties te cogitabo, Deum inveniam: legam Amorem, & ſuaviſſimâ te imagine complectar. Vt ſcias quid miſeris, jam incalui: quàm incaluerim, ignem ipſe mitto. Impeditus atque interruptus ardore calamus, præcipitat verba, & à lenitate ſuâ abit; minùs jam facundus, quia nihil ſatis putat. Quid verò? dum Amore velitor ac certo, etiam ſine verbis diſertus ſum: nec ſcribo affectum, ſed oſtendo: ànimo, non ore; tanquàm ſileam, & tamen loquar. Si permittis, experiar, an conciliari Amori Suada poſſit; ut, quemadmodum Doctrinam tuam colo, Modeſtiam, Candorem, Pietatem; ita celebrem. Niſi enim deſiderio officium amantis adjiciam, calere magis quàm lucere videar. At mihi non Amor tantùm, ſed & radii ejus placent. Vale.

EPISTOLA LXVII.

Mediolanum.

FREDERICO BORROMÆO, S. R. E.
Cardinali,
Archiepiſcopo Mediolanenſi.

QVàm avidè imaginem D. CAROLI exſpecto, tam religiosè litteras tuas exoſculatus ſum; è quibus jam conſignatam eſſe MONTORFANO intellexi. A te miſſam eſſe, hoc ſatis eſt, ut ſimilitudinis fidem ars pictoris inveniat. Ego, quia Arcem incolo, hoc nunc velut Palladium habiturus ſum: meque ſanctiſſimo illo pignore tuum eſſe gloriabor. Tuam verò quia imaginem impetrare non licuit, hanc D. CAROLI tanquàm tuam ſimul inſpiciam colamque; in alio corpore eaſdem Virtutes venerabor. Videbo CAROLVM, ſed FREDERICVM in CAROLO: & ſic uno ſimulacro, ſed gemino

gemino exemplo æstuantis animi affectus comprimam, vitia expellam. O quàm felix olim fui, cùm te videre coràm, & audire concessum erat! Tum optimus evadere potui: nunc quia absum, tuo tamen beneficio consequar, ne malus sim. Tuum igitur cogitabo vultum, CAROLI intuebor. Prorsus gemino exemplo etiam sõlitudinem meam sanctiorem faciam. Vale Alter CAROLE, & ut felicem me facias, ama.

EPISTOLA LXVIII.

Noviodunum.

IACOBO VASÆO,
Archidiacono Noviodunensi.

QVod more & amore fieri solet, vicem alterno litterarum, & familiaritatem profiteor. Officium pro exemplo est, & quemadmodum nuper unum mihi è tuis commendâras; ita ego nunc unûm è

meis. Egregius hic verò eſt, doctus, modeſtus; ſed famâ nominis tui excitatus, te adire, & venerari voluit, me velut dirigente. Ecce Lutetiam animi ingeniique cauſsâ proficiſcitur, & hunc in itinere fructum capiet, voluptatem percipiet; ut vultum videat viri, cujus virtutem admiratur. Vtinam tam felix ego ſim! utinam hunc quoque fructum, hanc ad me voluptatem traham! Nunc non licet; & in parte tamen licet. Nam partem aliquam mei hic meus poſſidet. Vale.

EPISTOLA LXIX.

Antuerpiam.

PETRO ANDREÆ CANONHERIO *Suo.*

ACcepi, inſpexi, & admiratus ſum ingenii tui munus, quo augere atque ornare Bibliothecam meam voluiſti. Quoties in manus

librum

librum ſumo, quantum affectui tuo debeam, intelligo; nomen & ſcripta à te mea æſtimari. Sed an lucebo tamen, qui inter tot Soles velut ſtella locatus ſum? certè non moriar. Sic nominari, pulchrum eſt; è terrâ in cælum evehi, divinum puto. Sed quis tu obſecro, qui Soles facis? qui ſtellas adoptas? & ingeniis æternitatem aſſignas? Tuâ nunc operâ ſolertiâque ad Rempublicam Hippocrates venit, non homines tantùm, ſed rerum naturam morbo liberat, & ab aureo ſacculo concordiam, quietem, felicitatem reducit. Hæc Iuſtitiæ, legum, morum ſanitas eſt, & continet omnia. Reliquum eſt, ut qui ſcribere nobis Hippocratem potuiſti, ipſe Hippocrates ſis, non Medicorum tantùm, ſed Politicorum omnium Deus. Vale, vel vive potiùs, ut Deus ſis.

EPISTOLA LXX.

Mediolanum.

FRANCISCO BERNARDINO PORRO, I. C.

AMoris imaginem in litteris tuis video, Vir Clarissime; imaginem veram, à fuco & fallaciâ remotam. Vt candor, sic facundia tua est; sermonis rivi fontem pectoris indicant. Quid ergò? tuum me esse, & vocari, gaudeo. Tuus enim sum, tametsi absens: nec quicquàm felicitati meæ subtractum est, quia animo divelli non possum. Vbicumque scribo, Mediolanum est; & nunc stilo ago, quod aliquando ore & linguâ solebam. Lege Insubricam Historiam hanc meam, & propemodum Insubrem me dixeris. Medicæum lege, hunc in Belgis scripsi, ut Mediolanensis quodammodo viderer. Sic quidem cùm abii,

abii, magis adhæsi: & magis inveni amicos, postquam reliqui; inimici autem temperare affectûs sui acrimoniam potuêre. O mi PORRE, Boni & mali ubique gentium sunt: sed neque hîc mihi omnes boni fuerunt. Tuli fortunam, & ferendo superare potui. Tu quoque tulisti tuam, jam à calamitate fortior: quid si & felicior sereniorque? Tentata est innocentia, ut, dejectâ velut tempestate, magis resplenderet. Te nunc fruere, & famâ fruere, quæ per adversa incrementum sumit. Quid facient tui? in his cultorem plagis habes. Quid mei? à PORRO, viro optimo, & apud Mediolanenses clarissimo amor. Sic amer porrò, ut felix sim: à quibusdam non amari, grave non erit. Vale.

EPISTOLA LXXI.

Anconam in Scaniis.

BERTILO CANVTO, V. C.

TV me præceptorem, mi CANVTE? hoc est amare, imò hoc est laudare. Majus enim tribuere elogium non potuisti. Vt bonum, ut doctum, ut clarum me vocares, hac tam benignâ appellatione usus es. Tuas in me dotes transcriptas video: tu bonus, & me dicis; tu doctus, & me judicas; tu clarus, & me facis. Aliàs qui præceptoris nomen sustineam? Si Majorum placet pietas,

Qui præceptorem sancti voluere parentis
Esse loco,

amplius etiam dicis, judicas, facis; & amplius ego debere me humanitati tuæ fateor. Itaque affectu audebo parens esse; & naturæ defectum officiis supplere. Faciam animo,

mo, quod anni fortaſſis non permittunt. Interim, ut recipias nomen quod dediſti, è tuis nunc ſcriptis melior, doctior, clarior evadam. Tales Epiſtolarum has Centurias cenſeo, in quibus nativo colore Atticus ille Genius ridet, laudatiſſimam antiquitatem repræſentans. Dictio nitida eſt, & adſtricta, res ubique copioſa. Breviter ſuffragium meum vis? Nomen tuum tolle, à LIPSIO ſcriptas has epiſtolas dixerim, in tuo ingenio tantum virum ſupereſſe. Etiam dico? Vſurpare LIPSI nomen potes, indolem expreſſiſti. Vt videas verò quâ ego ſtili familiaritate peccem, hanc Centuriam velut ἀντίδωρον, mitto. Si tanti eſt, inſpicies, me autem quem præceptorem appellas, infra laudes tuas poſitum, amabis. De nupero morbo, triſte fuit legere. Nunc quia moleſta Saturni filia te affligit, magis doleo. Sub frigido axe,

axe, an frigida hæc Dea regnum habet? Benigniùs adsit numen, & pertinacem nubem pellat. Vale.

EPISTOLA LXXII.

Bruxellam.

IOANNI STRIGELIO,
Tablini Cursorum Præfecto.

NVper festinus admodùm fui, & nunc esse cogor. Ad SADELERIVM ecce hic fasciculus dirigitur, qui BRVMAM meam imaginibus suis, typisque novis ornatiorem faciet. Tanquam satis adhuc hiemis non sit, legemus gelu; imò tanquàm nimium sit, suavi apud ignem contemplatione molliemus. Sed de Cometa quid? Meam ego Paradoxologiam publico depromere Scripto audeo, & rerum naturam benignè interpretari. Mitis interpres portenti ero, ut tales in me homines experiar. Quomodò? nihil

nihil in Cometa ostendam novi esse; atque ita nihil ipse fortassis attulisse novi videar. Vale.

EPISTOLA LXXIII.

Mediolanum.

ALPHONSO CVEVÆ, *Marchioni Bedmario, posteà S. R. E. Cardinali.*

SIlentio quodam hæsi, & heroïcam benignitatem tuam admiratus sum. O radii, sed improvisi, & è faventis, ut sic dicam, cæli sinu! Novum video sidus: atque utinam magis jam propinquum! Meâ caussâ velim; sed & Patriæ, cui novæ fortassis tempestates incumbunt. Hei mihi, aut fallor, aut vicinus hic nobis Septentrio minatur, collectam brevi rabiem effusurus. Batavi, tanquàm pace pereant, arma spirant, sed & instruunt. Ingenio suo feroces, quia domesticam oppressêre

presſêre factionem, nullum jam bellum, nullum hoſtem timent. Itaque conſiliis opus, tuis opus, ut vel pacem conſervemus, quâ feliciter uſi ſumus; vel ſic redeamus ad arma, ut contemnere iniquas pacis conditiones poſſimus. Potentia Regis maxima eſt, tantùm dirigi debet: ſibi oneri, niſi dirigatur.

Vis ConſilI expers, mole ruit ſuâ:
Vim temperatam Dî quoq; provehunt.

Veni, veni, Magne Heros, & manum quoque adhibe huic navi. Si veneris, ſi admoveris, pares erimus ſive bello, ſive paci. Peculiariter verò felicitatem ego meam Benignitati tuæ adſcribam; cui vivam moriarque, & meo obſequio, & Clariſſimi SACCI affectu mancipatus. Vale.

EPI-

EPISTOLA LXXIV.

Cliviam.

IVSTO MVLDERO ASCANIO

Suo.

LOngo tui desiderio torqueor, mi MVLDERE: an tu mei? A litteris si remedium est, meas ecce mitto, ut tuas eliciam. Compellare, suave est; compellari, amicitiæ fructum puto. Alia jam vitæ & togæ tuæ ornamenta esse INGENRADIVS indicavit: gaudeo. Sed ut scias quàm curiosus sim, intelligere novum hunc fortunæ vultum à teipso cupio: tum, quid agas, & quî occuperis. Quicquid fit, oblectamenta à litteris capies, & seriò seria esse cogitabis, quæ amœnitatem admittunt. Hactenus ingenii dotibus usus es, nunc fruere. Doctrinam profiteri, ubique pulchrum est: videri, ad exemplum valet. Mores sæculi

 nosti,

nosti, & ignorantiæ audaciam. Etenim inveniuntur homines, qui, ut cum laude Amusi sint, elegantias contemnunt; ut otiosi, negotium nimis hercle otiosè habent. Sed ipsa hæc Theologia tua, quot deliciis patet! quàm eruditè tractari potest! Si Litteræ desint, hîc inveniantur; si lateant quoque, à te produci & ostendi poterunt. Fac, mi MULDERE, & sic me ama. Nuper in Apulcium nescio quid meditabaris, & in hunc finem Notas meas dabam: an perseveras? Eundem scriptorem GEVERHARTUS ELMENHORSTIUS præ manibus habet: & quia in epistolis meis feliciter alibi correctum videt, auxilio libri Bembini; quæ observavi petit. Ego addixi, sed si per te liceret. Nunc ut liceat rogo, & ut tuum simul celebrari à Viro Clarissimo nomen velis. Consilium etiam meum vis? Suadeam Apulei loco

Lactan-

Lactantium emendandum & illustrandum sumas, dignum & ingenio tuo, & eruditione, & qui me semper vehementer cepit. Subsidia igitur dare paratus sum, & Apulejanis illis meliora. Nobilissimo non minùs doctrinâ quàm stirpe PALLANTIO cultum obsequiumque meum indica. Ago hîc, ut soleo; docendo & scribendo occupor. Testimonia omnia quæ dedi, à filiis meis collecta sunt, & jam typis Elzevirianis excuduntur: tuum quoque hîc videbis; imò videbis me tuum esse. Vale.

EPISTOLA LXXV.

ANTONIO WINGIO,

Abbati Laetiensi.

QVàm utilis & illustris Historiarum fax accendi possit, conatibus suis Geographicis HARÆVS ostendit: vel ideo laude dignus, quia ostendit. Sed, quemadmodum

prudentia tua rectissimè notavit, angustiæ hæ sunt, suáque lumen umbrâ impeditur. Benè igitur de Antiquitate, omnibusque Litteris mereatur, siquis plenum emoliatur opus, Orbemque terrarum, ut olim fuit, & est hodie, geminâ nomenclaturâ repræsentet, antiquâ & novâ. Non abhorret LANGRENUS, huic labori, siquis alius, aptissimus. Verùm juvandus & dirigendus est: in quam rem & ego operam omnem industriamque spondeo & addico. Sedulò enim agendum est, ut hæ tabulæ numeris omnibus absolutæ sint; ut omni laude nomen tuum resplendeat; denique, ut ipse LANGRENUS, qui gloriam hîc maximè spectat, ab omnibus spectetur. Vale, & rem Litterariam promovere perge, me amare.

EPI-

EPISTOLA LXXVI.

SENATVI POPVLOQVE MECHLINIENSI.

PRo dono liberaliter decreto gratiam ſcribo, & obſtrictum me munificentię veſtrę libens profiteor: obſtricta Litterarum ſtudia, quæ digna tam benigno affectu cenſuiſtis. Hoc ſanè eſt, non Vrbis tantùm, ſed Provinciæ animos gerere; fovere Muſas, ſic quidem in flore & pretio ſuo manſuras. Igitur quamdiu legetur hoc volumen meum, ἐλευθεριότης Mechlinienſium deprædicabitur: ſed mihi honorem habitum eſſe, agnoſcent omnes, qui Minervæ placent. Sanè accipere à vobis munus, honor eſt: dignum judicari munere, omne præmium vincit. Ingenio quidem veſter eſſe conatus ſum; vos me eſſe, beneficio oſtendiſtis. Sic haberi, pulchrum puto: numquam

enim haberi desinam. Quippe liberalitas vestra æterna est, & librum meum facit: Liber est, & sic me quoque facit. Quid dicam? vestrum esse, famæ quodammodò summa est: hanc dare volui, & ecce accepi. Si permittitis, dabo operam, ut non provocare modò munificentiam vestram, sed intelligere videar: quo animo studia mea omnia denuò devoveo. Valete.

EPISTOLA LXXVII.

Mechliniam.

GUILIELMO MERODIO, V.N. *Consuli Mechliniensi.*

Litteras Senatûs cum gaudio accepi, non benignè tantùm, sed & liberaliter scriptas. Benignitas judicio, liberalitas munere æstimanda est: hoc judicium indicant litteræ, hoc munus decernunt. Quid dicam? Placuisse Senatui quæ scripsi,

ſcripſi, primum præmium puto; placuiſſe quæ inſcripſi, alterum. In pretio ſic enim apud alios erunt, quæ ſcripſi & inſcripſi; in pretio, quæ liberalitate veſtrâ digna æſtimata ſunt. Nemo mehercle efficacius judicat, quàm qui munificus eſt: nemo non ſequitur judicium, quando munificentiam ſuſpicit. Sed cùm Senatum laudo, te potiſſimùm deſigno, Vir Nobilis; & quia communiter gratiam ſcripſi, tuam nunc humanitatem peculiari affectu veneror, & obligatum me agnoſco. Ingenui hominis eſt, profiteri beneficium; magis acceptum, quàm accipiendum æſtimare. Facio, faciam, & ſic me tuum eſſe uſque gloriabor. Vale.

EPISTOLA LXXVIII.

Bruxellam.

CAROLO EMANUELI AELSTIO, I. C.

PRovocasti me nuper benigno litterarum affectu & affatu, Consultissime Vir, addito munusculo, quo delectatum me fateor. Tragicum erat: sed quid homini utilius, quàm fortunæ scenam vel in imagine contemplari. Fulmina montes feriunt: quid querimur, si levi aurâ nos in humili positi quatiamur? Non carent naufragiis flumina; sed nobilissima tamen maris sævitia est. Si rerum vices expendimus, nusquam tranquillitas; major alibi aut minor tempestas est. Nostram navem nónne & ventus turbo his annis exercuit? Animus tamen, quia conscientiâ tutus, in sereno fuit, & stare immotus potuit.

Sic

Sic igitur majori etiam fructu alienæ calamitatis exempla inſpicio: hominem me cogito, homineſque eos, qui in culmine fortunæ poſiti ſunt, & poſſunt cadere. Sed profectò ſic repentè evehi, periculoſum ſemper fuit. Plerique enim, quia non capiunt felicitatem, ignorare pericula ſua incipiunt; & cùm nullam fortunam metuunt, ſubito caſu abripiuntur. Prorsùs ſuperbia cæca eſt, & ſub perſona amici, qui ſuperbis adulantur. Sed quò rapior? Meditari iſta magis oportet, quàm ſcribere; expendere, quàm cenſere. Verumenimverò, cùm mores & ingenium contemplor hominis, à te mihi nuper adumbrati; avaritiæ & calliditatis technas facilè video diſſipari. Quanti igitur integerrimum parentis tui pectus faciendum ſit, eventus loquitur. Ecce admirator ego & cultor adſum; quo candoris officio placere nunc illi

 geſtio,

gestio, cujus tu virtutes ingenitâ indole exprimis. Bruxellæ nuper fui, & animus erat me insinuare coràm: quid dicam? hoc votum negotia distulêre. Brevi tamen rediturus sum, ut & FLORITIVM nostrum videam, Principemque venerer, tum sanè te patremq; tuum optimum complexurus. Quia valetudo mea tenerior est, aura verò acerrima, in paucos adhuc dies differre iter cogor. Humanitate tuâ opus, ut credas scriptionis moram ab eadem valetudine, eadem aura fuisse. Vale.

EPISTOLA LXXIX.

Lovanii.

MELCHIORI DALHEMIO,

Augustiniano.

SErmonis errorem à filio commissum, non tam ingeniosè, quàm indulgenter excusavi; quia

commis-

commiſſum eſſe ipſe doluit. Erigere videbar diſcentis animum, ſi in laudem cenſuram commutarem. Pariter qui removeri errorem cupit, veniâ dignus; & qui ſic errat, proficit. Errat tamen, ac niſi reliquos ſcriptionis nitore commilitones ſuperat, adhuc victoriæ impar erit. Laudandus verò, quia à majoribus linguæ maculis alienus. Vt ſervet hanc induſtriam, voveo: hoc enim amplius eſt, quàm præmio donari. Addo & præcipio, ut qui Latium puer amat, erret potiùs, quàm communem loquendi conſuetudinem non ſequatur. In diem craſtinum ad prandium te voco: ut venias, ego & uxor mea rogamus. Ecce de errore ſermonis agitur: ſed quantò is vino facilius, quàm atramento deleatur, ſobrietas noſtra oſtendet. Vale.

EPI-

EPISTOLA LXXX.

Antuerpiam.

BALTHASARI MORETO,

V. Celeberrimo.

ACerbum optimi fratris tui fatum, mi MORETE, non parum me afflixit. Me; quia amicum & obstrictum. Hæc doloris, veri amoris tessera est: in partem ac societatem lætitiæ levis quemcumque caussa trahit. Extinctum lugeo, & extinctum esse miror. Sed nos superstites quam vivendi fiduciam capimus, si ætas & anni decipiunt? In viâ ecce meta est, & hanc citiùs quisque mortalium contingit, quàm prævidet. Quotidie imminere mortem & minari, tot satis morbi monent, quibus obnoxii sumus. Vide etiam & examina: multi citra ægritudinẽ extinguuntur. Atque his aliqua saltem in morbo

bo fuisset felicitas, cum rerum naturâ pacisci. Sanè abire è vitâ, quàm rapi, pii omnes malint. At tuus iterum jam decubuerat, venientem quasi mortem vidit, & se necessitati, imò Deo consignavit. Sic vixerat quoque, ut sortem illam communem minùs timere potuerit: piè, honestè, &, quod paucorum est, dignum illud famâ commercium ab omni prorsus fraude, & malitiâ sejungens. Bene de litteris, optimè de religione meritus, æternitatis nunc capit præmia: quæ te quoque aliquando manent; majora etiam, quia non curam tantùm, sed & ingenium impendis; quia diutiùs tam laudabilem provinciam sustinebis; denique, quia deinceps solus. Hactenus enim diviso velut munere Mercurius vobis & Minerva culti: nunc coalescet utrumque numen. Fratris Mercurius tuæ se Minervæ junget; imò in

in te adhuc vivet, qui extinctus est. Sed assumes virum, qui vices illius exprimet. Fallor, an hunc ipsum, qui utili hactenus & fido ministerio juvit? tuis nihilominùs auspiciis, tuoque nomine gerentur omnia, & sic feliciter. Deus aderit, & Virgo illa aderit, Mater Dei, cujus toties jam elogia elegantissimis typis adornasti. Vt alios & innumeros taceam libros, nitorem Plantinianum Proteus adhuc loquitur, loquuntur Thaumata mea, curiosiùs etiam edita, quàm scripta. Mihi verò hæc adhuc pietas cordi fuit: ANNVNTIATIONEM VIRGINIS oratione celebravi, hîc jam publicè in æde Sodalitatis Parthenia habitâ. Vrgent plerique editionem, & expectant: inter alios optimus ille virorum doctissimusque LESSIVS. Audivit, quæ dixi, æstimavit, &, ut summum depromeret elogium, digna typis tuis censuit.

censuit. De Apolline nostro, & facundiæ sacræ ornamento BAVHVSIO quid dicam? Non æstimabit Thaumata, nisi hanc cum Thaumatis orationem videat. Vt igitur tuam velis facere, & velut adoptare, pietatis caussâ rogo. Dedicatiuncula Serenissimam Principem nostram ISABELLAM habebit; & hoc satis, ut ornamenta ambiam: non possunt autem majora esse, quàm è tuâ officinâ. Vale, & hac nunc occasione ostende, piis te conatibus favere.

EPISTOLA LXXXI.

Mantuam Carpetanorum.

VINCENTIO MARINERIO VALENTINO, V. C.

NOn epistolam, sed elogium ad me mittis, Clarissime Vir, mediis tanquàm Athenis natum; imò & epistolam, & elogium. Ostendis ingenium tuum, ut meum scribendo

do æstimes; promis eruditionem tuam; ut meam laudando ornes. Quid? Vincis, mi VINCENTI, palmamq; jure aufers. In Puteo aquam admiraris, in te mare, mi MARINERI, habes. Entellum me vocas, tu in hoc pulvere litterarum, mi VALENTINE, vales, viresque mentis habes. Quæ vestigia in brevi ista stili via! quæ majestas in non longa scriptione! Græciam Latiumq; pari acumine & elegantiâ complexus es, brevi imagine absolutam eruditionem repræsentans. Hanc igitur nisi intelligam, prorsus hebes stupidusque sim; nisi amem, ἄγροικος, & inhumanus. Doctum te prædico, audacem nego. Scribere, & excusare, modestia est: indicare affectum, ut impetres, summus Amor. Reddo meum, quem offerre debui: ipse tuus, quem humanissimo officio tibi vindicasti. Vale.

EPI-

EPISTOLA LXXXII.

Bruxellam.

PETRO PVTEANO,

Castrorum Iudici Supremo.

NOmine tuus sum, quidni & nexu? Non igitur, quia beneficium accipio, sed quia debeo, candorem meum amabis. Sanè agnoscere malo, quàm sumere: & petere tamen cogor, ut amplius humanitati tuæ obstrictus sim. Tale illud in re mea, meum negotium, quod commendâram: tale illud MARSELARI, tanquam meum, quod commendo. In altero amicam operam expertus sum; in altero spero. Expertus, ut porrò experiar. Plura dicerem, nisi PVTEANVS esses, id est meus. Erro: ego tuus sum, & sic te colo pari nomine, impari gradu; ut plura debeam, quàm accipiam. Vale.

EPISTOLA LXXXIII.

Lugdunum Bat.

IOANNI MEVRSIO, V. C.

ANteà Doctrinam tuam æstimavi & admiratus sum, Vir Clarissime, nunc benevolentiam & humanitatem. Etenim amare tibi satis non erat, nisi & scriberes: quo officio cùm superatus sim (prævenisti enim) operam dabo, ut novisse videar, quem non compellavi. Sic quidem cùm celeberrimo Nomini tuo persolvam laudem, ipse assumam: tuo affectu, quàm meo ingenio clarior futurus. Tot jam scriptis illustrasti Litterarum tenebras, tot jam monumentis ad ÆTERNITATEM vocasti genus humanum, ut non vivere eum dicam, qui indoctus est; non sapere, qui felicissimam ingenii, eruditionisq; tuæ industriam non intelligit. Mitto Belgas, in Italia celebris es, &

inter

inter lumina ævi haberis. Iam quoque crescunt isti radii, & vel ab ORCHESTRA tuâ, ad me missa, emicant. Sed si sic pergis, nox in omni Antiquitate esse desinet, teq; Solem suum Sæculi consensus appellabit. De me quid attinet dicere? satis erit, si in majori numero stella sim, si non obscurus lateam. Obscurus tamen, quia famæ tuæ radios nunc subeo, & affectu jungor. Non recuso: obfuscari malo, quàm non amari: sic nihilominus beneficio tuo clarus ero. Vale.

EPISTOLA LXXXIV.

Antuerpiam.

CAROLO SCRIBANIO,
Soc. IESV. *Provinciali.*

DE scriptionibus meis profanis parum solicitus sum: hanc sacram placere censuræ tuæ velim. Sic dixi publicè, sic ANNVNCIA-

TIONIS laudavi myſterium, & propemodum ultra ſepta tranſilire viſus ſum. Novi anguſtias meas ; ſed & quàm hoc argumentum ſublime ſit, in Deo humanitatem, in homine divinitatem explicare. Pietas propitia fuit, animavit orationem VIRGO, & quibuſdam velut igniculis diſtinxit. Ego flores paraveram, illa flammulas inſperſit : ego tegere terram meam conatus ſum, illa illuſtravit. Ad ſummam, quicquid diſplicebit, à me profectum puta ; à VIRGINE, quicquid placebit. Sed nunc judicio tuo conatum meum definiam, temeritatem quoque in laudem converſurus, ſi pietatis nomen obſequium ſuſtinebit. Nam quia à Reverendo P. & Collegii hujus Rectore ROBERTO MALCOTIO, ut dicerem rogatus ſum; morem geſſi. Imò ſuaviſſimũ tuum agnovi imperium, qui omnium hic ore loqueris, omnium animos poſſides.

possides. Etiam meum, & tanquàm in militiam tuam adscripti. De Oratione igitur ista mea, velut tua statues: vivet, si excudi voles: ut velis autem, & ut à MORETO velis, plures hîc rogant. Quia inscribere Serenissimæ Principi destinavi, typos Plantinianos meritò ambio, & illos, quibus jam Thaumata leguntur. Ad MORETVM ipse scribo: quæ à manu tuâ pretium litteræ, ab auctoritate pondus accipient. Etiam ex AMORE tuo DIVINO grandire hoc volumen statui: addere, inquam, quæ de ANNVNCIATIONE inibi scripta. Sanè nihil legi, quod magis in hoc argumento placeret: ac tam pulchro Corollario pulchra pariter oratio mea videatur, ab hoc auro ornamentum capiat. Vale, & æternùm me ama.

EPISTOLA LXXXV.

Lutetiam.

LVCÆ TORRIO
Suo.

IN luce jam verſaris rerum, hominumque, mi TORRI, & ſpectas magna, ut ad magna animum ipſe erigas. Animum, ſed Virtutis, ut ſic dicam, candidatum. Nónne vides, clariore jubare niteſcere Solis vultum, nullis nubium impedimentis cinctum? Sed quod Solem excipit metallum, ærugine ſplendorem impedit. Etiam in pectore humano nubes ſunt, ærugo eſt: illæ à nimio motu, hæc à nimiâ quiete. Moderatus impetus ad ſerenitatem ducit. Qui ſerpit ſemper, ignaviæ proximus eſt: qui nimium aſſurgit, vanitate abripitur. Tu corripe gradum, quo durare poſſis: ſcopum pete, quem contingas. Hoc age, quod

quod agis; vide, disce, & quotidie te tibi vindica. Avarus temporis, periisse existima, quicquid aut Virtuti, aut Doctrinæ non accedit. E moribus clarorum virorum hauries, quo melior; è sermonibus, quo doctior evadas; ex utrisque, quo prudentior. Vt igitur tam boni consilii ratio constet, vesperi ad examen ducendus est dies, quâ parte utilis, quâ inutilis fuit; albo, aut nigro lapillo dignus. Quicquid pulchrum, & memoriâ dignum, ad pugillares referes: sententias quoque, sales, apophthegmata, quæ promiscuè nasci solent; omnem denique sermonis fructum. Ad me quoque ex intervallo, quæ videbis, audiesque, velim scribas, tanquàm colloquaris. Ne litteræ pereant, mitti Bruxellam ad ornatissimum V. IOANNEM STRIGELIVM poterunt, quem, nisi fallor, nosti: ego, quos nominas, MORELLVM, do-

ctrinâ, & senectute venerabilem; RIGALTIVM, annis, & famâ florentem. An novi tantùm? amo, æstimo, observo. De PELLOQVINO nihil dico: corculum meum est. Nihil de FABRICIO: adoro virum, qui olim ad familiaritatem se meam demisit. Nunc igitur saluta, & nomine meo venerare singulos. Sed Clarissimi RIGALTI PHÆDRVS gratissimum mihi donum fuit: aurum fuit, quo augeri, & ornari Bibliothecam meam gavisus sum: Ἀντιδωρίδιον aliquod mittere velim, affectumque reciprocum testari; sed differre cogor. De me quæris? ago, ut soleo, magisque illud meum σπουδαίως ζῆν ἄριστον complector. Sic ad me venio, à vanis & perituris recedo. Quantilla enim hominum vita est! Quàm ineptis dividitur curis! Sæpè & in his ipsis studiis vanitas est; quia non fructum, sed voluptatem sectamur. Laudis, non
Virtutis

Virtutis cupidi, magis ut clari, quàm ut boni ſimus, annos conſumimus. Sapientia placeat, placeant eæ litteræ & elegantiæ, quæ ad Sapientiam ducunt. Non plurima ſcribere, ſed optimè vivere, optimum puto. Sic te quoque exemplo malim, quàm ingenio excitare, ut bonus ſis; clarior futurus, ſi vitâ ipſe males, quàm elegantiâ famam mereri. An addo, quod mireris? ſereniſſimi PRINCIPES noſtri ante dies pauculos Dieſthemio reduces, ad Arcem hanc venerunt, ad Bibliothecam, & Muſéum meum aſcenderunt, & oblectati ſunt: cùm reliqua perluſtrarent conclavia, tenuitatis noſtræ dapes in merendam admiſerunt. An major loco, major Minervæ meæ accedere honor potuit? Tu expende, viciſſim ſcribes ac vale.

EPISTOLA LXXXVI.

Bruxellam.

IOANNI LACOVSTVRRIO, I. C.

TAm bono Amicitiæ nexu junĉti ſumus, mi LACOVSTVRRI, ut quod rogas ſcriptionis officium, præſtare cupiam : quod præſto, rogare non debueris. Tuum erat, exigere; meum, perſolvere. Diſtuli tamen, quia venire ipſe decreveram. Animus certè erat, Præſidem alloqui, & coràm affectum in te meum teſtari. Nunc quia iter non ab unâ cauſsâ impeditum eſt, ſcribo; ſed profectò quaſi loquar. Si mea res agatur, amplius non poſſim. At certè mea videtur agi, quia tua : tuque meus es; quia ab adoleſcentia junctus, quia per honeſtatem & probitatem, à quibus nunquam receſſiſti. Suave contubernium illud noſtrum fuit, & fundamentum amicitiæ, nunquam perituræ. An & matrem

matrem nomino? pietas ſuadet, & hæc communis: ſuo nos affectu fratres eſſe voluit (& nónne adhuc vult?) me quoque filium appellabat. Scripſi igitur, ſed tanquam pro fratre: & hoc ut matri indices rogo. Vale.

EPISTOLA LXXXVII.

Venlonam.

ANTONIO HVYSMANNO

Suo.

MEliorem ſanè fortunam hæc induſtria tua meretur, & faciet. Sed principia omnia moroſa eſſe, & ſuis involuta difficultatibus, experientia docet; progreſſum emolliri. Viden' ut machinæ quædam nonniſi magno labore moveantur, motæ quomodò in curſum proclives ſint? Provinciam tuam, navem eſſe cogita; liberè non ferri, niſi è portu in altum ve-

nerit

nerit; cùm jam novum non est, jactari. Vt verò navigare cœpisti, non omnes auræ deficiunt: adhuc terram vides, & jam vela tua extensa sunt. Aspirabit mox omnium favor, feliciterque vota provehentur. Prorsus, tempori aliquid concedendum est: sic enim ad maturitatem omnia veniunt. Tamen ut de certo stipendio statuatur suadeo, & ut firmiter sedem figas. In mansurum facilior deinde liberalitas erit: quippe præmium ipsa merita, etiam te tacente, petent, & accipient. Ergò strenuè, ut cœpisti, mi HVYSMANNE, Senatui & populo placere perge: gaudebis, spondeo, in meâ te urbem civem factum: gaudebo ipse, meam, bono jure tuam esse. Vale.

EPISTOLA LXXXVIII.

Antuerpiam.

FRANCISCO SWEERTIO, V. C.

QVid hoc, mi SWEERTI? Miror ego inſcriptionem in manus lapicidæ hactenus non veniſſe. Miſi enim priuſquam ad Lares patrios excurrerem, & ad ipſum à quo rogatus eram, tanti nominis ac fortunæ heredem. Magnus ſanè pater, qui pietatis hoc officium filio reliquit: prudens filius, qui patri debuit, & diſtulit. Mora interdum utilis eſt, feſtinatio damnoſa. Poſt mortem Præſtantiſſimi Viri, mori quoque ſiniſter aliquorum affectus debuit, ut monumenti decus invidiam evitaret. Serenis deinceps oculis quicquid ponetur, unuſquiſque adſpiciet, non minùs prudentiam, quàm affectum filii laudaturus. Hæc mea quidem opinio eſt. Sed quid audio? Suaviſſimum vitæ

ſolatium

ſolatium tibi ademptum eſſe? Vive, mi SWEERTI, & à conjuge ad ſapientiam veni, ut cogites, hanc unam omnium conditionem eſſe, MORI. Tres annorum heptades in matrimonio concordi, & ſine fribuſculo tibi exactæ: quàm multi citrà divelluntur! Aliorum expende fatum, & tuum feres. Epitaphium verò tam bonæ, tam ſuavi, tam honeſtæ ſcriptum, placet. Et conjugis memoriam, & tuum ſimul affectum in Conjugem expreſſiſti. DELICIAS quas denuò paras juvare cupio, & tuus ſemper eſſe, qui ubique delicias exprimis. Vale.

EPISTOLA LXXXIX.

Bruxellam.

PETRO TOLETANO,

Principibus Belgarum ab Eleemoſynis.

MAluiſſem equidem linguâ, quàm epiſtolâ loqui, & humanita-

manitatem tuam ore, quàm calamo venerari. Obiter id factum nuper; sed quia in transitu, tanquam non factum. Quid nunc scribo igitur? quod satis nunquam dixero: Affectui tuo me debere, & obstrictum esse. Etenim sic amari, summum beneficium est: hoc agis, ut Serenissimis Principibus magis magisq; placeam, aliis innotescam. Prorsus & Fortunæ, & Famæ meæ studes. O me felicem igitur! non ad commoda tantùm, sed ad ornamenta erigor, & tuâ, id est semper adornandâ mihi manu. Erigi suave est; tuâ manu, gloriosum. Atque ego jam majoris & fortunam meliorem & famam facio, quia utriusque incrementa benignitati tuæ debeo ac debebo. Reliquum est, ut gratus sim, ut sciant omnes, non solùm quantum debeam, sed quantum referre velim. Volo equidem, & affectus sequetur. Quicquid autem

fortunæ

fortunæ & famæ erit, Nomini tuo libens impendam. Vale.

EPISTOLA XC.

Bruxellam.

THOMÆ A IESV, *Ordinis Discalceati per Belgium Provinciali.*

QVia humanitatis tuæ Genium sæpiùs jam sermonibus meis facilem expertus sum, familiaris esse incipio, ac scribo. Epistola & candorem meum & cultum loquetur. Candorem, quo religiosissimos mores tuos; cultum, quo sanctissimas virtutes venerari fas est. Rapi me fateor, & quemadmodum illi olim, qui Thyrso percussi, divino quodam impetu agebantur: ita pietatis hîc enthusiasmum profiteor. Quis excepit luminum tuorum modestissimam majestatem, & perstrictus non fuit? Quis Suadæ gravissimas

vissimas hausit delicias, & non obstupuit? Deus linguâ tuâ loqui videtur, ad omnem honestatem, modestiam, pietatem impellere. Hinc brevi temporis spatio sanctissimus ille cœtus tuus per universam Belgicam crevit, & crescit: hinc in summâ vitæ asperitate gaudium ac dulcedinem amor divinus invenit; ut mihi non in terrâ, sed in cælo versari athletæ tui videantur. Quoties te respiciunt, magno virtutum exemplo excitantur, magno doctrinæ. An ardor deficeret? ignem te vident, & velut flammam ad Deum, ad divina evehi. Nos quoque, etsi vitæ ratione distincti, quia tamen non ignoti, hoc calore corripimur, & jungi magis, magisque optamus. Nam quid in rebus his humanis ac terrenis, pretio, aut affectu dignum? ὅλον κενόν. Solida verò in solâ pietate bona sunt: quippe cum Deo duratura. Sic quidem

Deum colere, prima felicitas eſt; noſcere, uti colas, perfectiſſima doctrina. Tu hoc agis continuò, & tui agunt; ut noſcant, ut colant. Nos quàm multis impedimur, tam frigemus in optimis: quàm indocti & infelices ſimus, collata vitæ ratio oſtendit. O Deus! non aſſurgimus è terrâ noſtrâ, à mente curas non removemus; tanquam victuri ſemper, annos, & fortunas diſponimus, anxii, trepidi, inconſtantes? Sed quis diem à Sole ſeparet? quis felicitatem à Deo? Ita eſt, Solem habemus quotidie, ſed involvimus. In pectore cujuſque curæ velut nubes ſunt, cupidines velut venti; diem vivendo obſcuramus. Alia Religioſorum hominum conditio eſt, unum ante oculos Deum habent, unius cauſsâ omnia & agere parati, & pati; tanquam ſine corpore vivant, mentem colunt, domandis autem affectibus occupantur.

tur. Sic quem ſæpè alloquuntur Deum, propitium habent: quod caſtigant corpus, obſtreperum non ſentiunt: morbum ſine querelâ, mortem ſine metu admittunt. Magna hæc bona ſunt; ſed quæ in tuo cœtu imprimis vigent, tuo non minùs pio, quàm prudenti regimine foventur. Obis provinciam, luſtras monaſteria, confirmas diſciplinam: quid dicam? Quia Ordini tuo; etiam Eccleſiæ, atque Reipublicæ utilis es: ut conſulas omnibus, ætatem, imò valetudinem impendis; illam jam ingraveſcentem, hanc piis laboribus fractam, & ſic magis venerabilem atq; æſtimandam. Quid tamen eſt? aliquam tandem quietem utraque poſcit, & aliqua corporis habenda ratio eſt, ne fulcro ſuo animus deſtituatur. Redi, redi, Optime PATER, in urbe hac quieſce, hîc centrum circuli tui habes. Si otiari neſcis, hîc negotium
 inve-

invenies, templum quod ſurgit; cœtum, qui creſcit. Redi, ut & ego felicior ſim, ut illi mei, illi tui VELASCII. Nónne & te Patrem nominant? Iure nominant, reipsâ experiuntur. Sed quid plura ſcribo? dicere malo. Redi igitur, ut & ego te audiam, ut videam. Vale.

EPISTOLA XCI.

Mediolanum.

LUDOVICO SEPTALIO, V.C.

SVave mihi fuit, in brevi epiſtolâ, rerum magnarum imaginem contemplari. Vita tua eſt, ſed ad pleniorem hiſtoriam referenda, ut publica fiat, neque accipiat modò lucem, ſed ſpargat. Legent omnes SEPTALIUM, qualem olim novi, & deprædicare ſoleo, ſummum atque admirandum. Ad ingenium provoco, & tot monumenta ingenii, quibus æternus es, optimè de Medicina, neque id ſatis, de Litteris meritus.

tus. Te respiciant ævi nostri homines, & majori fructu ac splendore coletur Æsculapius, ille apud quosdam hodie (pudet dicere) sive rudis, sive barbarus, atque abjectus. Ergò ne sanctissimam quidem Litterarum partẽ Philosophiam nonnulli adeunt, à reliquâ elegantiâ tam alieni, ut nihil præter lucrum æstiment, tuum verò audeant totâ professione exemplum præterire. Omnem illi in divitiis doctrinam ponunt, tu divitias in doctrina: illi fortunæ, tibi fortuna servit. Dum Medicum agis, hanc maximè colis partem tui, quæ divitiis fortunisq; omnibus major est. Quia liberalis esse statuisti, mitte ad me ex ingenii tui thesauris, mitte quas scribis Margaritas, & me divitem redde: reciproco etiam munere me dignum conabor liberalitate tuâ reddere. De publicis quid dicam? In Batavia decumani illi fluctus im-

minui paullatim videntur. Eò ventum, ut prorsus prævaleat factio, pro quâ MAURITIUS stetit. Ordinum nomine ille adhuc agit omnia, sed suo quasi arbitrio, in carcerem nuper conjectis adversarum partium ducibus, quorum caussa solenni examini committetur. Mirum vel facinus, vel fatum Syndici Ultrajectini: is in custodia noctu jugulatus, cùm solus illi filius adesset. Αὐτόχειρον alii dicunt, alii alienâ manu periisse. Ajunt verò, in MAURITIUM libellos famosos spargi, vim & vindictam libertatis obliquo verborum sensu designari. Non defuturum Brutum Cassiúmve, si voluerit ipse Cæsar esse. Omnes verò hi tumultus à Religione sunt, dum circa res divinas ingeniosus quisque haberi vult, & sectam suam tuetur. Accesserat verò opinionibus acerbitas, & in quibusdam urbibus armorum subsidio foveba-

fovebatur. Sed callidâ Principis induſtriâ actum eſt, ut nullus jam niſi ad coërcendos motus in urbibus miles reliquus ſit. Sed longior in his fortaſſis fui: an reprehendendus? ad te igitur culpa redeat, obſecutus ſum. Vale.

EPISTOLA XCII.

Bruxellam.

IOANNI STRIGELIO

Suo.

HAs ſcripſeram, & ecce tuæ allatæ ſunt. Quid dicam? ſuſpicio in dolorem verſa eſt, & ſilentium ego tuum, quia ex morbo, juſtiſſimum eſſe cenſui. Quid igitur homulli ſumus, etiam nomine iſto minores? Malis ærumniſque obnoxii, in ipſo corpore dierum noctiumque ſimulacrum habemus, nubilum & ſerenum. Miſera hæc varietas, aut potiùs varia miſeria

est. Sed quoties corpori malè est, ad animum curæ vertendæ sunt, ut extra morbum pulcherrimam nostri habeamus partem, quæ, si volumus, semper sana est. Itaque ne quidem corpus nostrum est, animus est: ipsi nos, ut sic dicam, nostri liberique, si in potestate animum habeamus. Ægritudinem igitur tuam doleo, nec doleo; quæ fortassis functiones corporis impedire potuit, mentis non potuit; quæ cessare calamum fecit, non cogitationes. Ego me ita constitutum sentio, ut cum amicis vel valere, vel ægrotare videar; qui verus amor est. Vale igitur, ut valeam; & me amicum cense, ut valeas.

EPI-

EPISTOLA XCIII.

Antuerpiam.

IOANNI VVOVERIO, V. C.

HVMANITATI tuæ gratiam: non enim vulgare ornamentum Bibliothecæ meæ accessit. Quoties MORVM adspiciam, sapientiam meditabor. Virum, inquam, sæculo suo illustrando natum; non doctrinâ tantùm, sed pietate summum. Ecce sapientiæ vocabulo omnes ejus laudes complexus sum. Imago quoque non à triviali profectò manu est: & an quis tam sacrum vultum profanaret? Viri magni nonnisi magnorum penicillo exprimi debent: MORVS expressus est, & in hac tabellâ vivere, imò loqui videtur. Nunc igitur ut agnoscam beneficium, à quo acceperim profitebor. Adscribam MORI nomen; hujus enim hæc

imago eſt : adſcribam VVOVERI; hujus enim dono mea. Quid? ſic magis tua eſt; quemadmodum & me feciſti. Veniant deinceps hoſpites, veniant peregrini; ut MORI imaginem videant, Bibliothecam meam audebo oſtentare. Vale. In Tacito faventibus omnino auris pergo. Tam frequentes me quotidie audiunt, ut rediiſſe ardor litteris videatur. Iterum vale.

EPISTOLA XCIV.

SIXTO ARCERIO, V. C.

NOn arces, Doctiſſime ARCERI, ſed allicis; velut ex humanitate factus. Atque hic litterarum fructus eſt, Amare & Amari: à quo tamen non nemo tam alienus hodie, ut, invitâ quaſi naturâ, ferociam ſpiret, humanitatem quodammodò exuat. Solo diſjũgimur; eundem tamen Solem contuemur. Quicumque ingenium colunt, eâdem

dem Musarum tesserâ censentur, & Amici sunt. Virtutum præcepta amplecti malunt, quàm examinare semper, & verborum acerbitate in contentiones non profuturas ducere. Ego te honestum, doctum, clarum scio: atque his clausa amicitia finibus coli potest; imò hos egredi. Quà Orbis patet, extendunt boni dexteram, nec longinquus affectus est. Ecce hanc porrigo, hunc offero: ut tuâ, tuoque dignus sim, bonæ mentis amatorem me profiteor. Σπουδαίως ζῆν ἄριστον usurpare Epicurus solet: meum feci, & pulcherrimo honestatis scito bonis doctisque placere hactenus studui. Successit votum, tuus sum: ut esse pergam, curâ & candore efficiam. Nobilissimum hìc HESSELVM AB HERMANA colo, virorum optimum suavissimumque. Is quemadmodum tui, ita Amoris mei interpres erit. Vale.

EPI-

EPISTOLA XCV.

Bruxellam.

ANTONIO DE GOTTIGNIES,

Senatori Regio.

AD litteras venio, & calamo præſto, quod ore deſtinaveram. Ac ſanè debebam hoc iter, & hoc officium fratribus meis, longâ jam nimis lite diſtrictis. Sed quia iter fruſtrà ſuſceptum eſt, irritum, ut ſpero, officium non erit. Hactenus neſcio quibus periodis res ducta eſt, & hoc tantùm egerunt adverſarii, ut involverent. Sed quid? æquitatem noſtram morâ ſuâ confeſſi ſunt. Rogo igitur ut in his tenebris facem nobis accendas, in hoc labyrintho, ut Theſeus ſis, & Minotaurum vincas. Si etiam licet dicere, non cum muliere, ſed cum ſphynge nobis negotium eſt: quare Oedipus ſi adſit, ſalvi erimus. Iuva

igitur,

igitur, Vir Optime, & auctoritatem tuam interpone. Vt scias quantum debituri simus, sumptu fratres, ego curâ liberabor. Ecce quia amor, confidentior sum; imò peto beneficium, quo & me tuum esse ostendas, & fratres facias meos: quamvis & hi jam tui sint, & ego magis magisque fiam. Vale.

EPISTOLA XCVI.

Mediolanum.

ANTONIO BLAGVAZZONIO, V. C.

DIssertatio mea utinam tam facunda sit, quàm caussa justa! Tu tamen laudare illam voluisti, hanc tueri. Facile eloquium innocentia facit : ego etiam in robur verto hanc pro fama pugnam. Nam quemadmodum vici adversarios, ita nomen meum auxi: aut etiam, quia nomen auxeram, adversarios inveni. Verumenimverò ubique calumniæ scena instrui potest, ubique

que lumini umbra adhæret, ubiqu
plurima homini ab homine mala
Hostes contemno, cùm amico
meos video: amo oppugnari, cùm
defensores meos intueor. A t
amor, mi BLAGVAZZONI, quidn
hunc affectum æstimem? à te de-
fendor, quidni in tuto animum ha-
beam? Novi humanitatem tuam
allici suave est: novi doctrinam &
virtutem, jactare auxilium possum
Vt amare pergas rogo: sic tuu
sum: ut defendere pergas, rogo, si
magis ero. Vale.

EPISTOLA XCVII.

Lovanii.

BERNARDO BAVHVSIO,

Soc. IESV.

VITALIANVM VICECOMITE
BORROMÆVM non frustrà he
laudavi: lugere volui. Nunc veran
ejus ad te imaginem mitto. Episto
lam

lam, inquam, eamque geminam, quam suâ mihi manu scripsit, beniniorem, an elegantiorem, dubites; prorsus indole istâ dignam. Quo cultu vivum, eâ pietate mortuum nunc prosequor. Hæc faciet, ut non amiserim Amicum, sed invenerim, quia Cæli ordinibus adscriptum. Quidni credam? Puer vates fuit, qui fallere non potuit, cùm vix sermonis usu instructus esset. Puer, sed è proximâ Vicecomitum cognatione: vates, sed absens. Indicare Mediolani potuit, VITALIANVM Pragæ mortuum esse, sed in cælo vivere, & verè VITALIANVM esse; potuit eâ ipsâ horâ, quâ mortuum esse, litteræ postmodùm acceptæ monuerunt. Ergò non suo ore hic puer, hic vates vocem emisit; sed accepta dedit Oracula, ut & nunc loqui S. CAROLVM BORROMÆVM sciremus. Tu divinam pueri vatis vocem eloquentiâ tuâ dignam esse

cogita.

cogita, esse Antistitem, quem terris fata non dederunt, sed duntaxat ostenderunt. Vale.

EPISTOLA XCVIII.

Bruxellam.

OCTAVIO PISANO, V. C.

MAgnæ mentis opus est, post tot tandem sæcula cælo Astræam deducere, litem & injustitiam in terris profligare. Hæc illa monstra sunt, à novo domanda Hercule: his malis Respublica Christiana passim laborat; quia in discordiam leges usurpantur. Scythæ olim quàm felices! sine curia justi fuêre. Quam à moribus nostris Spartani alieni! lites & judicia unà cum nummis exulare voluerunt; quia copiam spernebant, nullâ inopiâ premebantur: frugalitas suppeditabat omnia. Hodie quibus suppetunt omnia, nihil satis est. Iure, tanquàm bello utimur; in

cives, amicos; propinquos continuò pugnamus. Quæ ambages verò! moræ! larvæ! *Nitet ſimulati juris imago*. Et pleriquetamen ſic ferè homines vivunt, ſic colliduntur, in mutuam perniciem ingenioſi & callidi. Ergò tot curiæ, tot tribunalia, tot litium gradus ac miniſtri. Omnes hoc agere Chriſtiános putes, ne Chriſtiani ſint; putes aut corvos eſſe qui lacerent, aut cadavera quæ lacerentur. Quemadmodum abuſum ego; non uſum forenſem damno: ita malum ipſum tuæ illæ leges auferent. Prodeant igitur, vertantur in plures linguas, ubique locum habeant. Hic invenire hominem, qui *Sarmatico* idiomate exprimat, difficile erit. Aſcetes ille Dominicanus ante menſem in Patriam rediit. Alii aut diffidunt ſibi, aut nolunt occupari. Ego, quod in me fuit, feci, & faciam quoque; ut videas me laudatiſſimæ

industriæ tuæ favere. Nam cujus
modi doctrina illa sit, videor
Schedis quibusdam meis, aut scri
ptis conjicere, quæ de fraudibu
civilibus sunt, & Remediis frau
dium. Fide enim agunt homines
aut scripturâ. Sed quia fidei null
fides est, scriptura ferè usurpatur
hæc tres potissimùm partes habet
libros accepti & expensi; schedu
las, sive codicillos publicos, & pri
vatos, instrumenta solennia. In hi
omnibus quia fraudes sunt, reme-
dia tuum oraculum dabit. Vna dif-
ficultas superest, ut quæ salutari
sunt, amplecti omnes velint, à lit
ad pacem ire. Nimium suave lu-
crum est; eodemque templo hodi
pecunia, quo Themis, colitur. Se
de hac re dicere plura velim, quàm
scribere. Vale, & feliciter Pacis a
Iustitiæ leges promulga.

EPI

EPISTOLA XCIX.

Lovanii.

STEPHANO VVEYMSIO, I. C. *& Antecessori.*

ERrant, meo judicio, qui Avunculum tuum, IOANNEM VVAMESIVM, Clarissimum Themidis Antistitem, tot jam annis extinctum arbitrantur. Vivit enim etiamnum, qui loqui; loquitur, qui vivere pridem desiit; & de Iure, quod pauci faciunt mortui, respondet. Docet etiam, &, quâ solet facilitate, publicè privatimque.

Legum ænigmata solvit.

Tua hęc pietas, Clarissime VVEYMSI, & in parte fama est; quia scripta nunc iterum, & RESPONSA tanti viri producis, in quibus ipse sibi superstes erit, quamdiu aut æquitas apud homines, aut ratio, aut justitia coletur. Erit, inquam, quem

Q 2 fuisse

fuisse nemo dixerit, nisi & esse confiteatur. Videmus ingenii, doctrinæ, facundiæ rarioris dotes; videmus ipsum, quem Schola hæc nostra admirata est, omnis porrò & Academia, & Caussa, & Curia admirabitur. Veniat Professor Iuris, ex hoc volumine, velut fonte hauriet, quod cum fructu in Auditores derivet. Veniat Patronus, sive συνήγορος, hinc intelliget, quid plerisque in caussis Rei Clientisque æquitatem justo ac solido pondere stabiliat. Denique, veniat Iudex, hinc discet; quid albo nigroque dignum calculo sit; quid mitem aut severam litis sententiam mereatur. De auctoritate verò nihil jam addo: qui VVAMESIVM novit, omnia ejus dicta & dogmata sequi malit, quàm expendere; amplecti, quàm in controversiam vocare. VVAMESIVS est, & hoc satis, ille prudens, ille doctus, ille facilis & facun-

facundus. An plura? Belgicus ille, velut Delphicus gemini Apollo juris. Hîc Apollo eſt, ſed tripodem ſuum jam ubique habet,

------- potioraque Delphis
Supplicibus latè populis Oracula pandit,
Atque ſuas ad ſigna jubet revireſcere lauros.

Oracula voco, quæ Conſilia inſcripta ſunt: Oracula quippe Reſponſa, & ex eâdem ingenii judiciique cortinâ. Quàm enim docta, tam vera ſunt; quàm varia, tam pulchra; quàm operoſa, tam clara. Alibi tenebræ; hîc Themis Phœbum ſuum habet, & extra nubem eſt. Quodcumque ſorte obtigit argumentum, ut ſcriptum, ita illuſtratum eſt, & à ſe quoque radios mittit. Ego ſanè his me capi, etſi à foro alienum, fateor: capietur, quiſquis horum magis ſtudiorum eſt; viſurus, velut in Aſtrææ ſpeculo,

quæ rerum inter homines contr
verſarum jure munita veritas,

Quis color, & quod ſit cauſſæ gene
atque ubi ſumma
Quæſtio, quæ veniant diversâ par
ſagittæ.

Bene igitur: adhuc videmus, aud
mus Virum, qui prælucere Acad
miæ huic pergit, & bene de huma
no genere mereri. Præluces ipſ
Clariſſime Vir, ſimulque munus a
perſonam tanti viri, pænè nome
ſuſtines, VVEYMSIVS VVAMESI
Hujus evulgas ſcripta, cùm tua po
ſis: ut ſic quidem pari pietate, a
modeſtiâ uti videaris; tua premen
aliena promens. Tua poſcimus
VVAMESII plura & plura à te ex
ſpectamus: quæ & ipſa novis labo
ribus quodammodò tua facis. Va
le, vive, & ne unquam moriari
concede ſaltem doctiſſimis fili
tuis, MICHAELI, PETRO, & IVSTO
ut parenti impendant operam
qua

quam tua pietas Avunculo persolvit. Iterum vale.

EPISTOLA C.

Mediolanum.

RAPHAELI MONTORFANO
Suo.

OFficii tesseram etiam hic à me adolescens feret: epistolam, inquam, non alio argumento scriptam, nisi quòd AMO. Breve hoc, sed ingentis pretii verbum est. Nam profectò qui amare se profitetur, promittit omnia, & vicissim exspectat. Velle, primum est: ab hoc fonte, sed purissimo, reliqua profluunt. Vult autem omnia, qui amat; dignus sic quidem, ut recipiat omnia. Plauti alibi jocus est: *In ludum eo, & ternas scio.* Sanè in hoc verbo ternæ sunt: litteræ, inquam, sed tanquam omnes habeas. In bonâ & honestâ amicitiâ sunt omnia; Ludum tamen vocare vile fit, nisi

& in ludo ſapientia diſcatur. Veru
enim Amor, non Venere, ſed Sa
pientiâ naſcitur; mori autem no
poteſt. Mentium ille affectus eſt
tantumq; à corpore alienus, quan
tùm à vitio virtus, ab ignoranti
ſcientia, à morte vita. Volunt etiar
ex Amore voluptatem natam eſſe
Quidni? hac fruimur, quia Amic
ſumus; ſed meliori, robuſtiori
nunquam peritura. Cogitare can
dorem tuum, probitatem tuam
humanitátem tuam, aliaſque anim
dotes, ſumma mihi voluptas eſt
Cùm cogito autem, adeſſe me tibi
aut te mihi exiſtimo; loqui & ſer
monem miſcere, quoties ſcribo
etiam cùm non ſcribo. Hac ration
cùm facunda ſilentis verba ſint
non minùs loquentis ſilentia mire
ris. Quid ſit amare, dixi, & hoc jan
argumento epiſtola impleta eſt; ne
impleta tamen, niſi voto finiatu
Vt vivas, ut valeas, ut felix ſis.

FINIS.

APPROBATIO.

AMplissimus & Clarissimus D. E. PVTEANVS, *ubique* Puteanus *est, & quocumque stilum transfert, materiam tantùm mutat, elegantia & amœnitas eadem, aut par eum sequuntur.* EPISTOLARVM SELECTARVM APPARATVS *iste hoc tibi dicet, & ut faciat in prælum mittimus & publicam lucem. Lovanii prid. Cal. Novembr.* CIↃ. IↃC. XXXIV.

LIB. FROMONDVS, S.Th. Doctor, Librorum Censor Archiepiscopalis.